





С. 11. С. 1. п. 20

325-0



L.

A



3258



TERMINUS  
AMMIDIS  
TEXTA ORDINE

BREVARIUM ROMANUM  
SACRORUM RITUALIUM  
SACRORUM RITUALIUM  
SACRORUM RITUALIUM

CAUSAS  
SACRORUM RITUALIUM  
SACRORUM RITUALIUM



SACRORUM RITUALIUM  
SACRORUM RITUALIUM  
SACRORUM RITUALIUM

CAUSAS  
SACRORUM RITUALIUM  
SACRORUM RITUALIUM

2, 16

EPIGRAMMATA  
SACRA  
PER SINGULOS

ANNI DIES  
JUXTA ORDINEM  
BREVIARIJ ROMANI INCIPIENTIA A<sup>2</sup>  
Nativitate Domini nostri Jesu Christi, cui  
opusculum consecratur.


*Accesserunt Epigrammata ad Sanctos Lusitanos,  
ad Passionem Domini, & una pia  
etiam Elegia &c.*

CANEBAT  
EMMANUEL D'ABRANTES  
Sacerdos Lusitanus.



ULYSSIPONE.  
Ex Typographia JOANNIS GALRAO.


*Cum facultate Superiorum.*  
Anno M.DC.LXXXV.



*CENSURA ADMODUM*  
*R. P. M. Sebastiani de Magalhaës*  
*è Societate J E S U.*

**E** Pigrammata hæc sacra sedulo  
evolvi, & attentè perlegi, nihil-  
que in ijs offendi aut fidei sanctioni-  
bus repugnans, aut rectis vivendi insti-  
tutis non consentaneum; quin potius  
opus planè est pijssimi studij, & quod  
legentes ad cælestia promovebit. Uti-  
nam omnes Authoris conatum æmu-  
larentur, & non profanis, sed divinis  
rebus decantandis laborem suum  
honestiore consilio dicarent. Ulyssi-  
pone, in Collegio magni Antonij 6  
Augusti 1685.

*Sebastianus de Magalhaës.*



*CENSURA ADMODUM  
R. P. M. Doct. Fr. Ioannis Ribeyro.*

**E**A, qua potui, fedulitate sacra  
hæc percurri Epigrammata, in  
quibus nil obvium fidei, laudabili-  
bûsve moribus difsonans; inò quid-  
quid pia hæc refonat cãtilena, christi-  
anum zelum exhalat, & fi in gimnafijs  
puerorum verlari contingat, maxi-  
mam inde ſcholasticorum educationi  
utilitatem judico proveturam. Ulyf-  
ſipone in Cõventu Sanctiffimæ Tri-  
nitatis die 21. Auguſti Anni Domini  
1685.

*Doct. Fr. Joannes Ribeyro.*



**V**istas as informaçoens, pode-se imprimir o Livro, cujo titulo he Epigrammata Sacra, & depois de impresso tornará para se conferir, & dar licença que corra, & sem ella não correrá. Lisboa 21. de Agosto 1685.

*Manoel de Moura Manoel.*


*Jerônimo Soares.*

*João da Costa Pimenta.*

*Bento de Beja de Noronha.*

**P**ode-se imprimir o Livro intitulado ( Epigrammata Sacra ) depois tornará para se conferir, & dar licença para correr, & sem ella não correrá. Lisboa 25. de Agosto 1685.

*Serrão.*



*CENSURA ADMODUM  
R. P. M. Francisci á Cruce.*

**J**Ussu Maiestatis V. non oscitanter  
legi Epigrammata Sacra, nec in-  
felici, nec parum ubere venâ ab  
auctore emodulata. Cùm nihil aut  
bono publico, aut regijs sanctionibus  
dissonum in ijs deprehenderim; imò  
Christianæ pietati, ac in Cœlites  
observantiæ sint cōsona, non est, cur,  
permittente Maiestate V. publici ju-  
ris fieri non debeant. Ulyssipone in  
Collegio D. Patritij Societatis JESU  
&c. Kalend. Septembr. anni 1685.

*Franciscus á Cruce.*



**Q**UE se possa imprimir, vistas as Licenças do São-  
to Officio, & Ordinario, & informação, que se  
mandou tomar; & depois de impresso tornará à  
Menza para se conferir, & taxar: sem isto não cor-  
rerá. Lisboa 4. de Setembro de 1685.

*Roxas. Lamprea. Marchão. Azevedo.*

**C**ohærent cum originali. Ulyssipone, in Colle-  
gio Magni Antonij 26. Novembr. 1685.

*Sebastianus de Magalbaens.*

**V**isto cõstar do despacho atraz estar cõforme cõ  
seu original, pòde correr este livro. Lisboa 27.  
de Novembro de 1685.

*Manoel de Moura Manoel. Ieronimo Soares.  
João da Costa Pimenta. Bento de Beja.*

**P**ode correr. Lisboa 29. de Novembro de 1685.

*Serrão.*

**T**Axão este livro em cem reis. Lisboa 14. de De-  
zembro de 1685.

*Roxas. Lamprea. Marchão. Azevedo.*

1837

Le 15 Mars 1837  
Monsieur le Ministre  
J'ai l'honneur de vous adresser ci-joint  
le rapport que vous m'avez demandé  
par votre lettre du 10 courant.

Je vous prie d'agréer, Monsieur le Ministre,  
l'assurance de ma haute et respectueuse  
considération.

Le Ministre de l'Intérieur  
M. de Montigny

Monsieur le Ministre de l'Intérieur  
Paris le 15 Mars 1837

Le Directeur de l'Imprimerie  
M. de Montigny

Le Directeur de l'Imprimerie  
M. de Montigny

Monsieur le Ministre de l'Intérieur  
Paris le 15 Mars 1837



CHRISTO JESU  
Opt. Max. pro opus-  
culi dedicatione

*Epigramma.*

**D**Ebita qui Sanctis refero præconia, votis  
Cur te Sanctorum non ego Sancte vocem?  
Si magnum quærit parvus liber iste patronum,  
Maior ei, quàm Tu, nemo patronus erit.  
Censorem quoque si quærit malè cultus amicum,  
Qui poliat, meliùs nemo polire valet.  
Nam, qui cuncta potes, pariter sapis omnia solus;  
Suscipias, polias, cernuus oro, librum.  
Id tua, Sanctorúmque tuorum gloria poscit;  
Quomodò tale Tibi rejicietur opus?  
Materia est veluti, sit opus, Tibi gratus & auctor;  
Zoilus, & rabidus Cerberus ore fremant.

Vilissimus, ingratisimúsque tuo  
sanguine redemptorum

*Emmanuel d' Abrantes.*

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY


CHRISTO 1832

OP. MAR. PRO. 1832

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

EX LIBRIS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY  
1832



# CHRISTIANO LECTORI

## Præfatio.

**N**IMIS arduum aggredior sanè opus: tum quia ipsa per se materies ingenij mei vires longè superet: tum quia, anser velut inter olores, tot inter doctos, pijsimósque vates, qui ad præsens usque multa de Sanctis, & concinna, alio licèt ordine, recinerunt, strepitus meos edam insuaves. Verumtamen, cùm lucubrationibus meis istis Deo in primis, & Sanctis ejus, tibi deinde, Lector charissime, placere intendam, materies ipsa, quæ est omninò pia, & benevolentia, quam idcirco abs te spero maximam, & quodammodò debitam, addunt animos. Ut hac in re Deo placere possem (benè nôsti) latis, supérque erat placendi animus: ut autem tibi, plus aliquid esse opus judicavi. Quare tibi penitùs satisfaciendi ego cupidus, aliquot, pauciora licèt, Epigrammata doctissimorum virorum obelo subdere non erubui. Cùm autem animadverterem illos res nonnullas recipiendas.


piendas rejicere, & rejiciendas fortasse nonnullas recipere, ad meam valde curtam (nōrunt ipsi) confūgi supellectilem: illaque etiam, quæ ipsis jam placuerant, inverti ferè omnia. Et tam hæc ipsa, quàm omnia alia, severi in me induens personam judicis, iterum atque iterum solus castigavi, in primis, quod attinet ad vocabula, & loquendi formas, Latinitatis patrum documenta lectando, & ubi illorum non exstabant, Quintiliani, Columellæ, & aliorum ejusdem notæ, quos nemo imitari doctus erubescat, inhærendo vestigijs. Itaque, si isto in opusculo quid ego tibi vel de syllabarum quantitate videar innovâsse, auctores, quæso, consulas: ne par aliquibus videre, qui carpendi tantum cupiditate instincti, quæ vel non legerunt, vel non meminerunt se legisse, temerè, & é vestigio, tanquam qui res é turre judicant, damnare non metuunt: quique, si qua primo oculorum jactu non percipiunt, inepta, inutiliæque omninò asseverant: si qua autem aperto, & dilucidato nimis fluentia stylo (quæ virtus est orationis maxima) vix legunt, cum intelligunt, ne á carpendi degenerent genio, & ingenio, humillima, & puerilia ferè judicant. Horum nequaquam velis tu numero adscribi. Ni longius progredi, tibi que movere nauseam extimescerem, oculis tuis subjecissem, quæ viri aliàs doctissimi improbârunt, necnon pro me

Latinitatis patrum innumera, & maxima testimonia. Missa autem omnia hæc faciens, unum á te, Christiane Lector, enixè petam: ut scilicèt non ad sententiarum acumen, quod in me desiderari omne non inficior, sed ut ad veram pietatem, Sãctorũque imitationem mentem præpares. Vale, & pro me ora fratre, & conseruo tuo.

---

*Mibi libellum meum hunc in lucem edituro casu ad manus venit alter Petri Francisci Ursini sub eodem titulo (Epigrammata Sacra) impressus Bononia anno 1669. sed Epigrammata multò pauciora, diversum ferè ordinem, & diversas omninò, ut videre est, continens sententias.*





## AUCTOR APUD CORDATOS

*Viros ingenuè professus est, quòd de duobus punctis hoc in opusculo contentis, quæ nimium hyperbolica formidabat, religiosum quemdam virum, & sapientissimum, vel potius Sacrae Theologiae oraculum nuncupandum, quippe qui adhuc vivens citari solet è suggestis, confirmandi se se gratiâ cõsulisset. Innotuit hoc quibusdam invidis aliàs sapientibus; arguunt inscitia auctorem, ac infamant: libellumque istum tanquam insultaturi jam expectant. Hac super re*

### Auctor ad libellum.

**Q**Uò properas, ò parve liber? quid lucis amator  
Sic inhias lucem? scrinia nostra cole.

Despicias invidiam? minitans inimica latenti,


Cùm videas lucem, parcet amica tibi?

Falleris hoc sperans; tutus tamen ire memento:

Fers etenim tecum grande patrocinium.

Quot laudas Sanctos, puto te tot habere Patronos.

Inscius est auctor: consulit; ergo sapit.




ACCESSERUNT HÆC DUO,  
*Quæ desiderabantur, Epigrammata.*

SANCTISSIMO NOMINI  
B. M. V.

*Die 9. Septembr.*

**U**T Domini, Mariæ sic est laudabile Nomen;  
Ortus, & Occasus laudat utrumque simul.  
Ut Dominum populi, sic & laudare Mariam  
Ritè solent: eadem laus utriusque manet.  
Omnibus est terris Domini mirabile Nomen:  
Haud aliter Mariæ Nomen ubique sonat.  
Quolibet útque Dei Nomen sub agone jacentes,  
Et Mariæ Nomen sic relevare valet.  
Est Nomen Domini turris fortissima: turris  
Nomen item Mariæ servat ab hoste suos.  
Est ne Mariá Deus? non ulli tale putandum;  
Non Deus est, meruit sed peperisse Deum.  
Hinc Mariæ Nomen Domini cum Nomine laudem  
Unam fortitur; Natus hic, illa Parens.





## Solemnitati Sanctissimi Rosarij

Die 7. Octobr.

**A**ngelicam recitas quoties, pia turba, Salutem;  
Fragrantem toties fundis ab ore Rosam.  
Hæc penitens sine sente Rosæ; sine sentibus autem  
Nil metuunt, quod eas lædat iniqua manus.  
Vertice namque petunt hæc Sacra Rosaria cælum,  
Atque ibi pergrato semper odore virent.  
Præsideat Cytheræa Cypri, Pæstique rosetis;  
Præsidet Æthereis nempe Mariæ Rosis.


---

Pag. 77. Epig. 133. vers. 1. Bosphorus; lege Phosphorus.

P. 146. Ep. 249 in tit. Hilario; lege Hilarioni.

P. 172. Ep. 11. vers. 4. patriam; lege patrium.

*Quæcumque alia tibi occurrerent menda, non  
hic annotandas judicavi, quippe quæ verum  
sententiarum sensum minimè valeant præpe-  
dire &c.*



# EPIGRAMMATA SACRA

PER SINGULOS ANNI

*dies juxta ordinem Breviarij*

*Romani, &c.*

Christo Domino recens nato.

*Epigramma I.*

*Die 25.*

**Q**uanta patent oculis omnem superantia captū!  
Alma suum peperit foemina Virgo Patrem.  
Ipse creatus adest cæli, terræque Creator,  
Principiôque carens incipit à pûero.  
Cernitur Immensus minimâ sub imagine clausus,  
Et moriturus Homo, qui sine fine Deus.  
Circumstant superi cives, & Numen adorant,  
Quod Pueri tanti membra tenella tegunt.

A

A Vix

Decemb.

Vix *b* oritur melior meliori lampade Phœbus,  
 Nox abicit in nitidum cū memoranda diem.  
 Nam *c* fugiunt tenebræ, lux prævalet aurea, cælū  
 Plaudit, & exultat terra soluta metu  
 Tartara dent gemitus, *d.* geminet sua gaudia Tellus,  
 Carne Deo factō, Regia facta poli.

*a* Genuisti, qui te fecit Ex Brev.

*b* Splendor ejus, ut lux erit. Habac 3. 4.

*c* Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in  
 Domino. Ephes. 5. 8.

*d* Gaudium, & latitiam obtinebunt. Isai. 35. 10.

## Puerulo vagienti.

II.

**C**UR tot dispergis nitidas, mi Parvule, gemmas?  
 Supprime vagitus, Magne Puelle, tuos.  
 Si ditare venis homines, jam parce; quid ultra?  
 Guttula nempe satis, gutta sed una super.



# Virgini lactanti Puerulum.

## III.

**Q**uæ genuit Patrem, Patri simul ubera præbet:  
 Applicat os ori, colla tenella fovet.  
 Ut Patris est Genitrix, sic est Altoris & Altrix:  
 Regia sic a Solis, b cui brevis aula polus.  
 Virginis in Signo dum Sol versabitur almus,  
 Vaticinor cunctis prospera cuncta fore.

a Orietur vobis Sol iustitiæ. Malach. 4. 2.

b Quem cali capere non poterant, tuo gremio contulisti. Ex Breviar. Rom.

# Pastoribus in Nativitate. Allegoria ad omnes animarum curam exercentes.

## IV.

**I**n columem quicumque gregem servare paratis,  
 Discite, Pastores: ecce Magister adest.  
 Ecce vibrans Argus melior non lumina centum,  
 Pro grege sed plusquam lumina mille suo.  
 Vilibus in paleis recubat: præsepia cunæ.  
 Sunt Pueri: thalamus Crux manet alta Virum.  
 Multa a prius sed probra feret gregis actus amore.  
 Dicite: quis vestrum sic adamabit oves?

a Saturabitur opprobrijs. Thren. 3. 30.

Decemb.

Stephano Protomartyri. V

V.

Die 26.

Sanguinolenta Ducis carpis vestigia primus  
 Primus ferta tibi sanguinolenta paras;  
 Impavido perstas animo: crepitantia rides,  
 Pæstantamque putas singula saxa rosam.  
 Maius at illud erat: veniam lapidantibus oras,  
 Quò magis exardent, hoc miserare magis.  
 Proh quot gemmiferis onerant te saxa coronis!  
 Singula, & nomen uti, saxa corona tibi.

• Stephanus, idest, corona.

Ioanni Evangelistarum Aquilæ su-  
 pra Domini pectus recumbenti.

VI.

Die 27.

Pectore quàm tutus requiescit amatus amantis!  
 Quaque magis redamat! quataque patrat amor!  
 Affolet, ut solem propius regina volucrum  
 Aspiciat, celsis nidificare locis.  
 Ioannes & super ipsa volans tamen arduus astra,  
 Nidos in sacro pectore Solis habet.

• Quasi aquila super domum Domini. Osee 8. 1.

# In Herodem trucidantem Innocentes.

VII. Dse 28.

**S**iste; tot innocuo cur spargis sanguine cunas?  
 O' abeat tantus; dire tyranne, furor.  
 Quem ferus ense fero petis undique, nōris abesse,  
 Sacrilegas nec eum tangere posse manus.  
 Inscius ergo decus cæsis, cælōque decorem  
 Aggeris; addis enim sidera sideribus.

# Divo Thomæ Cantuariensi Archi- præfuli.

VIII.

Die 29.

**P**astor amans ovium Christus: qui propter easdē  
 Plurima probra tulit; sustinuitque necem.  
 Pastoris tanti sequitur vestigia Thomas:  
 a Propter oves animam dat, velut ille dedit.

a Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.  
 Ioan. 10. 11.



Decemb.

S. Silvestro Pap.

IX.

Die 31.

**V**irtutum silvam Silvestrum cerno virentem,  
 Cujus odor penetrat dulcis ad usque polum.  
 Quisquis avet longè fragrantès carpere flores,  
 Ad properet, silvam curet adire sacram.



# JANUARIUS.

Dominicæ Circumcisioni.

X.

Die 1.

**A**rtis Apollineæ durissima jura puellas,  
 Quòd jacet æger homo, suscipit ipse Deus.  
 Scinde voluptates penitus, gens prava, nocentes;  
 Talia non meritum ne patiare pati.



Ianuarius.

## Sanctissimo Nomini JESU.

3 XI. 0

**Q**uisquis honorificū super omnia stēmata nomē  
 Affectat, pretio sanguinis illud emat.  
 Tu Puer, imò a Gigas, quæsisisti sanguine nomen,  
 b Nomina cuncta tenens obsequiosa sibi:  
 Nomen &, Ætheream quod qui lustrantibus Urbem  
 Non dederit signum, mox periturus erit:  
 Quod c polus, & Tellus, Erebsque profūda vorago  
 Et famulo, & tremulo poplite jure colunt.

a Exultavit, ut Gigas Psal. 18. 6.

b Nomen, quod est super omne nomen. Philip. 2. 9.

c Mihi curvabitur omne genu. Isai. 45. 24.

In nomine Iesuy omne genu flectatur &c. ad Phi-  
 lip. 2. 10.



Ianuar.

## Ad Magos in Epiphaniâ.

XII.

Die 6.

**U**nus Auroreæ properi cunabula linquunt,  
 Alteriusque petunt lucidiora Magi.  
 Prævia signat iter nitidissima stella, beatos  
 Atque viatores ducit ad usque Bethlem.  
 Sidereo maius cernunt ibi lumine lumen:  
 Lumen & eximium lumine privat eos.  
 En Homine in donis, Regemque, Deumque salutât;  
 Mystica muneribus tanta latere patet.  
 Mortali a nam myrrha datur, Regique potenti  
 Aurum: sed magno thura Sabæa Deo.  
 Felix stella quidem, quæ Solem denotat alium!  
 Felices ducti, Solis ad usque fores!  
 Nobis fausta b Sacræ Cereris præmonstrat acervos  
 Stella super panis visa stetisse domum.

a Thus, aurum, myrrham Regique, Homini que, Deoque  
 Dona ferunt. Juvenc. Presbyt.

Myrrham Homo, Rex aurum. suscipethura Deus.  
 Claud. de miracul. Christi.

b Prognosticum Sacrosanctæ Eucharistiæ. Beth-  
 lem domus panis.



## Ad Christi baptisma.

XIII.

**P**urum Agnum tingit purus puro agnus in amne;  
 Unus at ex puris puriore ecce tribus.  
 Joannes purus, purus quoque vitreus amnis;  
 Purior at Christus a purificavit eos.

*Oratio.* Consecravit fluenta Iordanis, suūque simul purificavit Baptistam. S. Maxim. Homil. de Epiphania.

## Infra Octavam Epiphaniæ.

Ad illa verba: Jesus proficiebat ætate, & scientiâ, & gratiâ.

Luc. 2. v. 52.

XIV.

**Q**uomodo paulatim crescit labentibus annis;  
 Qui sine principio, qui sine fine Deus?  
 Quo divina modo Summi Sipientia Patris,  
 Maior ut esse queat (dicite) facta minor?  
 Scire modum liceat, quo fiat Gratia maior,  
 Gratia, quæ Superis omnia grata facit.  
 Hoc ab inexhausto pelago jam emergere fas est;  
 Maior Homo, maior non Deus esse potest.

Januar.

Baptistæ Christum nescienti, ut ipse  
postea testatus est dicens: Et  
ego nesciebam eum. Joan.

I. 31.

XV.

**N**Empe lupo notus lupus alter; at Agnus ab agno  
Dicitur ignotus? credere mens refugit.  
Ignorat Præcursor eum, quem matris ab alvo  
Visceribus sensit Virginis ipse geri?  
Quomodo *a* vox Verbi Verbum nescisse profatur?  
Vox talis Verbum prodere tale nequit.  
Si præit ejusdem Solis radiosa lucerna,  
Exortum Solem nôsse *b* lucerna negat?  
Noverat *c* ex utero quem mentis lumine tantum,  
Novit & ex facie, cum madefecit aquis.

*a* Vox loquitur ad Verbū. Nazianz. Orat. in sancta lumina.

*b* Lucerna dicit ad Solem. Idem ibid.

*c* Novit eum notitia intellectuali; sed non notitia faciali &c. Dionys. Carthus. in Joan. loc. cit. art. 6.



## Ad nuptias in Cana.

XVI.


**I**N vinum quæ vertit aquas divina potestas,  
 Sanguinis in fluvios vertet & ipsa merum.  
 Inque suam vertet Cerealia munera Carnem,  
 Pellat ut orbe sitim, pellat ut orbe famem.

Ad illa Christi verba: Quid mihi, &  
 tibi est, mulier? Joan. 2.4.

XVII.

**S**I minimè tetigit noxæ levis umbra Mariam,  
 Cur reprehensa fuit semper amanda parens?  
 Quid sibi verba volunt, linguæ vel verbera Nati?  
 Si Genitrix, mulier quomodò dicta fuit?  
 Negligit an Matrem, qui nos coluisse parentes  
 Præcipit, & charos nos habuisse jubet?  
 Absit. Qui talem nobis commendat amorem,  
 Innuit, ut talis sit moderatus amor.

*Docet nos, ne habeamus affectum nimis carnalem,  
 & mollem ad parentes. Dionys. Carthus. in Joan.  
 2.4.*



S. Hilario.

XVIII.

Die. 14.

**E**Xhilarant terras, Hilari, tua facta, polumque;  
 Talia cum facias, quid superest, quod agas?  
 Accedunt at scripta tuis tua maxima factis:  
 Respondent scriptis & tua facta tuis.

S. Felici Martyri.

XIX.

Eod. die.

**N**omine tu Felix, sed re felicior exstas:  
 Sors tua quandoquidem te super astra levat.  
 Felices alij, sed non felicior alter.  
 Felices, Felix, nos prece redde tna.



Eidem inter araneorum telas hostes  
evadenti.

**N**E timeas, Felix, hostes; at despice tutus  
Cassibus obtectus per metuendus ades.  
Non te custodit paries; te propter Olympus  
Hostibus obfistens signa stupenda facit.  
Mœnia sunt calles: exilis aranea turpi  
Mille, jubente Deo, mox dabit una neci.

### S. Paulo Eremitarum primo.

XXI.

Die 15.

**S**emper amant nudi mundanis rebus eremum:  
Inque vicem nudos semper eremus amat.  
Nemo magis nudus, nec amantior ullus eremi,  
Quam Paulus; quem nam plus & eremus amet?  
Non ullum: nam vasta petens juvenilibus annis,  
Terga dedit mundo, corda deditque Deo.  
Præterea vastam primus decoravit eremum:  
Omne suum Paulo debet & illa decus.  
Palma tegit, quæ corvus alit, tumulantque leones,  
En Æther animum, corpus eremus habet.  
Dicere quis poterit: Paulus dum vixit, eremus  
Moribus Angelicis alter Olympus erat.

Januar.

S. Mauro Abbati.

XXII.

Eod. die.

**D**iscipuli a dextram Christus titubantis in undâ  
 Apprêndit, firmat succiduoque gradus.  
 Maurus aquas super incedit, Placidûque prehensis  
 Attrahit ad ripam crinibus incolumem.  
 Paruit unda Deo, Mauro quoque paruit unda:  
 Dextra Petro, Placido sed coma prênfa fuit.  
 Maxima signa Dei, Mauri quoque maxima. Maurus  
 Est ne Deus? minimè; quæ Deus, ille facit.

• Math. 14. 30. &amp; 31.

S. Marcello Pap. & Mart. in stabulo  
 bestiarum.

XXIII.

Die 16.

**C**ujus ad obtutum cælestia fulcra vacillant,  
 Bruta petit nascens dulce sodalitium:  
 Utpote qui secum tacito sic corde volutet:  
 Sunt hæc bruta quidem, sed mage brutus homo.  
 Et benègnatus ego, brutis dum confero bruta,  
 Bruta magis fugio, bruta minûsque peto.  
 Ejusdem, Marcelle, vices fortitus in Orbe  
 Cum brutis itidem vilia septa colis.  
 Sic brutos homines, nec non simulacra deorum  
 Bruta fugis, frueris Semideûsque Deo.

• Columnæ cali contremiscunt, & pavent ad nutum  
 Dei. Job, 26. 11.

S. AA-

S. Antonio Abbati:

XXIV.

Die 17.

**N**ulli posthabitus, non ulli postque ferendus,  
 Qui Domino est aded servulus assimilis.

Dæmonas a exterret metuendum Nomen JESU,  
 Terret & Antonî nomen, agiturque procul.

*a In nomine meo demonia ejicient. Marc. 16. 17.*

Cathedræ Romanæ.

XXV.

Die 18.

**P**Hœbus ut in folio claris lucente smaragdis,  
 Cernitur in sacrâ Sede sedere Petrus.

Non se det, atque sedet: vigili vigilantior Argo,  
 Dum sedet, excubias pro grege Pastor agit.



Januar.

S. Priscæ Mart. 13. annorum.

XXVI.

Eod. die.

**P**risca quidem meritis, non annis, Prisca, fuisti:  
 Tam tibi dant etenim, quàm nova, prisca loca.  
 Erleo deponit rabiem, dat & oscula plantis;  
 Bellua mitis adest, dum tibi sævus homo est.  
 Quid mirum? non miror ego. Tibi flammeus ardor  
 Blandiri cupiens, desijt esse vorax.  
 Plura fatigasti postquàm tormenta, securi  
 Jure coronandum subdis, ut agna, caput.

S. Canuto regale diadema ad Crucifixi  
 fixi pedes abjicienti.

XXVII.

Die 19.

**Q**uid regnū terrestre tibi? quid & aurea sceptrā?  
 Quid folium auratum, quid diadema tibi?  
 Quod facis, id facito, nimis ò memorande Canute:  
 Cernuus ante Dei te, tua mitte pedes.  
 Hic a regnum, sceptrum, folium, diadema tenebis,  
 Sunt equidem multò quæ potiora tuis.

a Servire Deo regnare est. S. Antonin. Florentin.



Aliud.

XXVIII.

**R**ex inquis: regum Regi caput undique pungunt  
 Spinea, condecorant aurea ferta meum.  
 Est dominum Dño thalamus Crux dura, tribunalis,  
 Auratum solium, mollia strata mihi.  
 Has liceat mutare vices: mihi dura præopto,  
 Christe: lubens mitto mollia cuncta tibi.

SS. Mario, Martha, & duobus.  
 filijs Martyribus.

XXIX.

Eodem die.

**O** Fortunati geminã cum prole parentes!  
 Vos poenam petitis, poena petit reliquos!  
 Et pater, & nati fortes; fortissima conjux  
 Hortatu fortes reddit utrosque magis.



## S. Sebastiano.

XXX.

Die 20.

**M**ilitiæ duros solitus tot adire labores,  
 Quid mirum, quod nunc tela, Sebaſte, feras?  
 Quid mirum, timidis animos quòd fortior addas,  
 Juſſa capeſſebat ſi tua prima cohors?  
 Martyrium paſſi cùm, te hortatore, tot exſtant,  
 Martyribus Martyr dux generoſus eris.

## S. Fabiano.

XXXI.

Eodem die.

**V**eſtrum flete, in oſes, cõmunem flete parentem:  
 Nam procul á terris jam Fabianus abeſt,  
 Sed ne flete, precor; qui vos hìc vivus amavit,  
 Vivus & è cælo vos adamare ſolet.



S. Agneti Virg. & Mart. 13.  
annorum.

XXXII.

Die 21.

**A**gnus apud veteres, adstansve altaribus agna  
Victima si cecidit credita grata dijs:  
Vox Agnes teneram (planè liquet) indicat agnam:  
Et cadit Agno Agnes agna tenella suo.

## S. Vincentio.

XXXIII.

Die 22.

**M**artyrium vincit Martyr Vincentius omne:  
Omnis & est tanto Martyre pœna minor.  
Cogere cùm nequeat nomen mutare tyrannus,  
Vincere desperet, res alias & agat.



S. Anastasio.

XXXIV.

Eodem die.

**N**ON caput amittis, cùm percutiare bipenni;  
Excipit imò a Caput te super astra tuum.

- *Christus caput Martyrum. Ex Tract. S. Aug. in Psal. 63.*

S. Raymundo de Peña fort : é cujus  
sepulchro pulvis enascitur, quo  
multæ, gravésque infir-  
mitates curantur.

XXXV.

Die 23.

**T**OT vibrat radiòs mundi Raymundus in oras;  
Quot vibrat æthereâ Solis ab arce rota.  
Ad numerum priùs innumeræ redigentur arenæ,  
Quàm tot virtutes, quot Raymundus habet.  
Facta sepulchrali testantur pulvere signa;  
Pulvis uti, numero maxima signa carent.  
Gloria a magna fuit Domini prædicta sepulchro:  
Hanc famuli tumulo dividit ille sui.

- *Erit sepulchrum ejus gloriosum. Isai. 11. 10.*

**S. Emerentianæ Virg. & Martyri  
Cathecumenæ.**

*XXXVI.*

*Eod. die*

**S**anguine cuncta merens Virgo stipendia, nomen  
Emeritæ potius, quale mereris, habe.


**S. Timotheo.**

*XXXVII.*

*Die 24.*

**I**dôlis fieri prohibet dum sacra profanis,  
Nec tolerare potest mista profana sacris:  
Est sacer á vulgo Præsul lapidatus iniquo;  
Pondere a sed lapidum palma levatur humo.

• *Arbor palme non cedit ponderi, imò renititur.*  
Plin. lib. 16. cap. 42.



Januar.

## Conversioni Divi Pauli Apstoli.

XXXVIII.

Die 25.

**H**ÆC fuit Excelsi penitens & mutatio dextræ;  
 Prædo fuit nuper, qui modò præco docet.  
 Hæc fuit Excelsi penitens mutatio dextræ;  
 Mitis adest agnus, qui lupus acer erat.  
 Hæc fuit Excelsi penitens mutatio dextræ;  
 Qui ferus hostis erat, dulcis amicus adest.  
 Hæc fuit Excelsi penitens mutatio dextræ;  
 Est subitò Paulus, qui modò Saulus erat.

• *Hæc mutatio dextera Excelsi. Psal. 76. 11.*

## S. Polycarpo.

XXXIX.

Die 26.

**H**Æ te non flammæ carpunt, Polycarpe; sed alter,  
 Intima quo flagrant, igneus ardor edit.  
 Interior totum te jugiter ignis adurit;  
 Quod cremet exterior, quid manet ergo? nihil.



## S. Joanni Chrysoftomo.

XL.

Die 27.

**Q**Uod caput eloquij torrens habet aureus? unde  
 Volvit & auriferas impetuosus aquas?  
 Aurea grandiloquus Chrysoftomus ora resolvit,  
 Cordaque Christiadum fertilia facit.  
 Comprimat eloquij pater ille veterrimus ora,  
 Verba facit melior dum meliora Pater.  
 Eternum fileat mundi facundia fallax;  
 Non Pater, eloquij sed novus ecce Deus.

## S. Francisco Salesio.

XLI.

Die 29.

**F**A&is, & scriptis ducit Franciscus ad astra;  
 Prædocet at Christus, quam docet ille viam.  
 Christus enim doctor: doctor Franciscus habetur:  
 Ambo *a* simul faciunt, quod simul ambo docent.  
 Quid superest? Christus fuit omnibus omnia factus:  
 Omnibus *b* (haud dubites) omnia factus hic est.

*a* Cæpit Iesus facere, & docere. A&. i. i.

*b* Ex Breviar. Romn. in Oratione ad eundem.



Januar.

## S. Martinæ Virg. &amp; Mart. Romanæ.

XLII.

Die 30.

**R**omuleæ Martina tuæ decus urbis, & Orbis,  
 Quàm superas omnes una virago viros!  
 Improbus exquirat pœnæ genus omne tyrannus:  
 Omne genus pœnæ nam tibi ludus erit.  
 Omne triumphabis, donec defessa triumphis  
 Subdere carnifici tu caput ipsa velis.

Aliud eidem, cujus interdum ex vul-  
 neribus lac cum sanguine emana-  
 navit.

XLIII.

**E**Rumpens roseo cum sanguine lacteus humor  
 Munditiam cordis denotat ille tui.  
 Omnibus est meritò terris caput inclyta Roma:  
 Tu quoque Virginibus, Martyribusque caput.



S. Petro Nolasco Ordinis B. Mariæ  
de Mercede Redemptionis  
Captivorum fundatori.

XLIV.

Die 31.

**S**olvere vincla Petro quōdā data plena potestas  
Vincula qui solvat, nunc Petrus alter adest.  
Quisque a redempturus non vincla subire recusat,  
Plūs Christum poterit, quā̄m retulisse Petrum.

*a* Tam se, quā̄m suos quarto obstrinxit voto manen-  
di in pignus pro Christianorum libertate. Ex Brev.





# FEBRUARIUS.

S. Ignatio Mart. ad illa verba : *Fru-  
mentum Christi sum, dentibus bestia-  
rum molar, ut panis mundus in-  
veniar.*

*XLV.*

*Die I.*

**N**ULLA Ceres recipit Christi cū corpore Numen,  
Antè volubilibus sit nisi trita molis:  
Inde subacta manu, calidis concoctaque flammis;  
Fit secūs haud hodie victima vera Deo.  
Christi frumentum est Ignatius: ergo ferinis  
Trita farina molis, atque subacta manet.  
Ignibus ætherei tandem concoctus amoris  
Fit panis mundus, victima fîtque Deo.



## Purificationi B. Mariæ.

XLVI.

Die 2.

**Q**uid templum lustranda petis, quæ purior astris  
 Et Lunam pedibus purificare soles?  
 Lustrentur reliquæ, non tu, nimis inclyta Virgo,  
 Et super Angelicos intemerata choros.  
 Subderis at legi, penitus licet inscia labis,  
 Ut pateat, quam sis obsequiosa Deo.

*Ad illud: Ut sisterent IESUM Do-  
 mino, & darent pro eo par turturum  
 Ec. Luc. 2. 22, & 24.*

XLVII.

**Q**uis tam magna Dei capiet miracula? Dantur  
 Munera parva: Deo sistitur ipse Deus.



*Februar.*

Ad Christum quinque siclis redemptum  
juxta Carthus. in Luc. supra art. 7.

XLVIII.

**E**cce Redemptorem siclis modò quinque redemptum;  
Támne parum pretij tam pretiosus habet?  
Immense Immensus pretio redimatur, oportet;  
Non datur hoc? redimi non secùs ergo potest.  
Exiguo tamen est pretio (liquet) ille redemptus.  
Legifer hic quidquid præcipit, ipse facit.

S. Blasio in vinculis miracula  
operanti.

XLIX.

Die 3.

**S**i rapidus fuerit torrens aliquando retentus,  
Ac fuit antè, magis tunc violentus erit.  
Nam refluxis propulsus aquis obstacula rumpet,  
Utpote qui properans nesciat ulla pati.  
Haud aliter Blasij virtus constricta catenis,  
Viribus aucta novis maxima signa patrat.



S. Andreæ Corsino adolescenti sen-  
sim ad vitia declinanti.

L.

Die 4.

V Idistine lupos ovium sub pellibus? agnum  
Nunc quoque contactum cernito pelle lupi.  
In rabidum persæpe lupum convertitur agnus;  
Agnelli genium sed lupo iste gerit.  
Quem, simulac placidi pellem semel induit agni,  
Noveris ad pellem non rediisse lupi.

S. Agathæ.

Ll.

Die 5.

C Um perstes immota, tuo & fidissima Sponso,  
Ferre pudicitæ turpia damna nequis.  
Horridus intumeat Prætor, pelagusque dolorum;  
Immotam rupem nulla procella movet.  
Manat ab exsectis quæ sanguinis unda papillis,  
Sanguinei Sponsi cor magis illa rapit.

• Sponsus sanguinum tu mihi es. Exod. 4. 25.



Februarius.

S. Dorotheæ sororibus traditæ,  
eâsque ad Christum re-  
ducenti.

LII.

Die 6.

**N**ON soror, at mater potius vocitere sororum;  
Nec, quæ vos genuit, par tibi visa fuit.  
Vos parit hæc mundo; meliore renasceris autem  
Matre Fide geminas tu paritura Deo.  
Verior utque parens, his talem quæris honorem,  
Sanguine tu qualem quæris, habesque tibi.  
Quàm manet astuti mens obstupescata tyranni!  
Ars artem pepulit, sed bona nempe malam.

S. Romualdo percipienti mar-  
tyrium.

LIII.

Die 7.

**C**Orpore qui Martyr, nõ est tã Martyr habendus,  
Quàm, cui martyrij corda perurit amor.  
Nam, cui sorte datur proprium fuisse cruorem,  
Indomitam subito perdomat ille sitim.  
Sed flagrat hoc lento quicumque medullitus igne,  
Sit mora parva licet, plus mora torquet eum.  
Prætereà tantò tu maior habebere Martyr,  
Est animus quantò corpore nobilior.

SS. Joanni de Matha, & Felici de  
Valóis Ordinis Sanctissimæ  
Trinitatis Redempti-  
onis Captivorum  
fundatoribus.

LIV.

Die 8.

**U**N A tenet cælum, sedem Trias altera terram,  
Dicere si liceat. Nomina disce trium.  
Christus, Joannes redimunt, redimit quoque Felix:  
Ergo Redemptorum cernitur Orbe Trias.

## S. Apolloniæ.

LV.

Die 9.

**D**UM tibi contundit cunctos gens barbara dētes,  
Avellitque, furens nil nocet illa tibi.  
Nam Christū tam voce Deum, quā corde professa  
Id faceres, quamvis lingua revulsa foret.



Eidem,

Februar.

Eidem, quæ cum annosa esset, alacris  
in ignem sibi paratum se iniecit.

LVI.

**D**eficit exterior, sed ad huc viget intima virtus;  
Membra foris titubant, roborat intus amor.  
Scævola si dextrâ petijt tantummodò flammam,  
Corpore tu toto; tu magis ergo facis.

S. Valentino Martyri.

LVII.

Die 14.

**P**ende: Valentinus vox indicat ista valentem;  
Plûsque Valentinus millibus iste valet.



SS. Faustino, & Jovitæ Marty-  
ribus.

LVIII.

Die 15.

**L** Uditis in pænâ, pænâmq̄ue eluditis omnem:  
Lædere vos nequeunt bestia, flamma, mare.  
Bestia mitescit, languescit flamma, quiescunt  
Æquora; qui culter vos ferit, ille beat.

S. Simeoni Mart. & Christi pro-  
pinquo.

LIX.

Die 18.

**D** Avidicâ de stirpe satus cûm sanguine Christum  
Contigeris, similem perpetiare necem.  
Pendulus á ligno, Christóque simillimus exstas;  
Una duos unum mors facit, unus amor.



Februar.

S. Mathiæ Apostolo. Cecidit fors super  
Mathiam. Act. i. 26.

LX.

Die 24.

CUI talem Fortuna tulit placidissima sortem,  
Nulla (liquet) posthac fors metuenda manet.  
Tali sorte fruens incommoda nulla timeto:  
Nil damni facies, omnia lucra feres.



## MARTIUS.

S. Casimiro.

LXI.

Die 4.

SCeptra, thoros, vitam constans, Casimire, recusasse  
Eligis & juvenis, dummodò Virgo, mori.  
Denique præmoreris, tua sic ut amica superfit,  
Quæ tibi Virginitas Regia Sponsa fuit.  
Mirus honor! fors mira! tibi nihil amplius opta.  
Vivis cum charâ Virginitate simul.  
Conditio mortalis erat, non facta: fuisti  
Angelus in factis: non potes ergo mori.

## S. Lucio Pap. &amp; Mart.

LXII.

Eod. die.

**C**lavibus, & palmâ præluet Lucius Orbi:  
Solis & unius lux ita facta duplex.

S. Thomæ Aquinati mulierem im-  
pudicam titione fuganti.

LXIII.

Die 7.

**P**ræbuit arma focus, deludis & ignibus ignes;  
Plus tamen igne Dei, quàm titione vales.  
Ecce triumphanti jam jam gratatur Olympos:  
Baltheus & affertur, te timet inde Venus.

*Mox per quietem sentire visus est sibi ab Ange-  
lis constringi lumbos. Ex Brev.*



Mart.

Aliud. Ad illa Christi verba : Bené  
scripsisti de me, Thoma &c.

LXIV.

Quæ facis, & scribis, Cēsor probat utraq̃ Christus:  
Præter eum merces est tibi nulla satis.  
Hunc petis, huncque petēs scite petis omnia, cūctis  
Et frueris : fruitor, comprime vota, tace.

SS. Perpetuæ, & Felicitati Marty-  
ribus.

LXV.

Eod. die.

Ut nimum secura tuos potiaris honores,  
Hos tibi perpetuos nomen inesse docet.  
Illa sit ut felix, & felicissima, cui nam  
Est, fuit, aut melius nominis omen erit?



S. Franciscæ matris titulum recusanti,  
& solùm ancillæ amplectenti.

LXVI.

Die 9.

**A**ncillæ tibi sumis onus, non matris honorem;  
Tale tibi quantum portat honoris onus!  
Creber adest Christus, Christi que pijsima Mater,  
Angelus & creber; quàm tibi mirus honor!  
Sic, tecum polus ipse solo dum permanet, ecce  
Ipsa polo frueris facta beata solo.

SS. Quadraginta Martyribus.

LXVII.

Die 10.

**E**cce quater deni pœnæ genus omne triumphant  
Heroës: rident vincula, saxa, gelu.  
Æthereâ totidem mittuntur ab arce coronæ;  
Deficit in pœnis unus, & una vacat.  
Nec mora: sufficitur, cui mox imponitur illa:  
Moxque coronatos impia turba necat.  
Donat eos flammis: ignis sic additur igni;  
Ossibus ardet adhuc intus, alter hebet.



Mart.

Horum uni Melithoni tormentis  
superstiti.

LXVIII.

**H**IC gravibus superest cruciatibus unus: iniquo  
Gens animo privat quem scelerata rogis.  
Portat eum genitrix humeris, & onusta sequendo  
Plaustra cadaveribus nil animosa timet.  
Matris in amplexu moritur malè faucia proles:  
Iungendam socijs quam dedit illa pyræ.  
Exiit hæc matrem? non exiit, induit imò;  
Non unquam mater verior illa fuit.

S. Gregorio Magno ad Summum  
Pontificatum indicio igneæ  
columnæ deprehenso.

LXIX.

Dic 12.


**I**gneus abripuit quem currus ad æthera Vatem,  
Spiritus si ve fuit, vix ve putandus homo.  
Vix homo Gregorius, totus quasi spiritus: unde,  
Qui Vatem rapuit, proditus igne fuit.  
En tibi, qui Magnus cognomine, rebus & exstat:  
De quo si nequeas dicere magna, tace.

S. Patricio servitatem apud Hibernos  
 fervienti, postea Episcopo,  
 eosque ad Christum con-  
 vertenti. Ex Lippe-  
 loo, & Petr. de  
 Natal.

LXX.

Die 18.

**P**atricius jussu porcos dum pascit herili,  
 Gemma inter porcos quam pretiosa jacet!  
 Effodiunt porci lytrum: quod ut egerat, ales  
 Nuncius insinuat; denique liber abit.  
 At suus ipse sibi penitus non esse videtur,  
 Dæmonis in vinclis dum meditatur heros.  
 Nec sibi permittit requiem, nisi talia postquam  
 Officiosus heris rumpere vincla valet.  
 Pileus à superis servo, potiùsve corona  
 Donatur; servus Rex habeatur heris.



Mart.

S. Josepho Sponso B. M. V.

LXXI.

Die 19.

**B** I S genito gemini tibi, Christe, fuere parentes;  
 Verus at est unus, creditus alter erat.  
 Unus & Omnipotens, illisq; simillimus alter:  
 Quidquid uterque jubet, a suscipis, idque facis.  
 Tam tibi, quàm Patri gens æthere nata ministrat;  
 At tu Josepho spontè minister ades.

*Factus obediens usque ad mortem. Philip. 2. 8.  
 Erat subditus illis. Luc. 2. 51.*

SS. Joachim, & Annæ parentibus  
 ejusdem Virginis.

LXXII.

Die 20.

**V** IX sobolem steriles quondam genuistis, ab alto  
 (Nec mora) cū genitam præripit alma Trias.  
 Destinât hâc a Genitor Gnatam, Genitûsque Parêtè,  
 Insimul & Sponsam vivida Flamma suam.  
 Quinam tale decus tanti meruere parentes,  
 Quale per hanc sobolem vos meruisse patet?  
 Vobiscū inde Pater Pater est: Natum inde Nepotè,  
 Et vobis Generum Flamen habere datur.

*Filia Dei Patris: Mater Dei Filij: Sponsa Spi-  
 ritus Sancti.*

S. Benedicto Abbati, qui puer in eremum concessit.

LXXIII.


Die 21.

**D**UM, Benedicte, puer penitus pnerilia ponis,  
Non puer es: mentem, corque senile geris.  
Dum puer at mundo dicis, Benedicte, salutem,  
Tam bene non dicis, quam, Benedicte, facis.

Eidem se in vepribus volutanti, ut  
voluptatis sensus dolore oppri-  
meret.

LXXIV.

**L**Enibus illecebris titillat foeda voluptas,  
Iamque Cupidinea pectus amore flagrat.  
Indomitas non iuvat aquis domuisse, sed hirtis  
Vepribus elicto sanguinis anne faces.  
Quae fuerant niveae (credunt aliunde poetae)  
Hinc ego purpureas credo fuisse rosas.  
Ad Superos tandem meritis ascendit onustus;  
Hoc duce, jam propera, carpe, viator, iter.




Mart.

## Annuntiationi B. M. V.

LXXV.

Die 25.

**A** Liger ad Mariam placido descendit Olympo,  
 Et lætum lætus fert Paranympus AVE.  
 Illud AVE Mariæ portat, mundoque salutem:  
 Gaudia magna polo portat & illud AVE.  
 Quæ facienda parens, intacta futurâque Virgo es,  
 Tam tibi grande nihil, quàm fuit istud AVE.  
 Grande licèt, nimis & gratum, non inflat, at implet:  
 Impletâque magis te replet istud AVE.  
 Amplius haud aveas; nec aves, nec avere licebit;  
 Plus, quàm vota petunt, continet istud AVE.  
 Dicite, mortales; quid maius avere potestis?  
 Jam finem votis attulit illud AVE.  
 Si sibi vos socios cæli cupiére phalanges,  
 His socios equidem vos dabit illud AVE.  
 Hic tamen omne bonum verbo dependet ab uno;  
 Non aliter summis jungier ima queunt.  
 E' Cælo jam Virgo trahit verbo integra Verbum:  
 FIAT, ait; Verbum fit Deus ecce caro.





# APRILIS.

S. Francisco de Paula Minimorū fundatori, quem Seraphici Francisci precibus parentes susceperunt.

LXXVI.

Die 2.

**A**lter ab alterius penitūs fit imagine notus:  
 Nomina conveniunt, convenit omne simul.  
 Maximus hic Minimus Minimos, Minor ille Minores  
 Maximus extollit; dicite: Maior uter?

S. Vincentio Ferrerio.

LXXVII.

Die 5.

**V**EL minimum puer odisti levitatis odorem:  
 Nil puerōque tibi plus gravitate placet.  
 Quidquid & agis, loqueris, meditaris, id omne virilis  
 Est animi: siquidem scis puerile nihil.  
 Quid facies autem, lapsis puerilibus annis,  
 Magne puer, faciens omnia digna viro?  
 Nempe Magisterium sanctæ pietatis obibis;  
 Felix, doctrinam qui retinebit, erit.  
 \* Nihil puerile gessit in opere Tobiaë 1, 4.

S. Leoni

*April.*

S. Leoni Papæ, qui Attilam cogno-  
mento Flagellum Dei divinâ  
eloquentiâ compulit, ut  
regrederetur.

LXXVIII.

Die II.

**A** Ttila, te viso, fertur posuisse furorem:  
Quippe Dei Flagro sunt tua verba flagrum.  
Non te terrestrem, cælestem credo Leonem,  
Sol melior validum projicit unde jubar.

S. Hermenegildo Regi, quem pater,  
ut ad hæresim rediret, minis  
terrere conatus est.

LXXIX.

Die 13.

**Q**uam geris egregiè, quã puchrè, quãmq̃ disertè!  
Rex tibi nēpe pater: Rex, Pater estque Deus.  
Hic jubet, ille jubet, graviter minitatur uterque;  
Justa sed hic, minimè justa sed ille jubet.  
Ecce Pater patri, Rex regi, jussãque jussis,  
Ecce minis pugnant sic & utrinque minæ.  
Annis usquè Deo fidissimus: usquè parenti  
Abnuis intrepidus, propositisque tenax.  
Rex melior donec factus, quia Martyr, ab aulã  
Cælesti regnas: quæ tibi regna decent.

SS. Valeriano, & Tiburtio fratribus,  
Maximo, & hujus socijs Mar-  
tyribus.

LXXX.

Die 14.

Sanguine tã clarus, quàm cõjuge, sanguine multo  
Clarior effuso, vir generose, manes.  
Verteris in sidus, radios ãque lumina fundis;  
Additus est frater, sidus & ecce duplex.  
Ignea Tyndaridũm lampas se fasla minorem,  
Quem cælo tenuit, cellit utrique loco.  
Maximus accedens, sociorum magnãque turba  
Zodiacos plures constituere novos.  
Lustrat, & illustrat Sol omnes undique Christus;  
Lumina dant Phæbi mutua Zodiaco.



*April.*

S. Aniceto Pap. & Mart. decernenti,  
ne Clerici comam nutrirent.

LXXXI.

Die 17.

**C**UR(dic, quæso) vetas Clerum gestare fluentem  
Cæsariem? crines cur refecare jubes?  
Significant hominum bona, seu mala sensa capilli:  
Longa solum spectat, sed coma tonsa polum.  
Innuis ergo tuis penitus te velle, quòd ipsi  
Terrea non animis, imò superna p̄tant.  
Exemplum teneant: proprio super astra levaris  
Sanguine. Quis tanto non duce carpet iter?

S. Soteri Pap. & Mart. statuenti, ut  
Christi Corpus in cœna Do-  
mini ab omnibus sumere-  
tur &c.

LXXXII.

Die 22

**N**Octe necē præunte sacer gregis ille Magister,  
Corporis insolitâ dum dape firmat oves,  
Te docet, ut facias ad sacra reclusa quo tannis  
Pascua lustratum Pastor adire gregem.  
Egregio sed amore gregis fuit ille peremptus:  
Te quoque consimilis nempe peremit amor.  
Ille quidem Soter, Soter quoque diceris; unum  
Dicere Sotèrem possumus, ànne duos?

S. Caio

April.

S. Caio Pap. & Mart. constituenti,  
 ut certis Ordinum gradibus ad  
 Episcopatum ascenderetur,  
 & aliquamdiu  
 propter metum  
 delitenti.

LXXXIII.

Eod. die.

**P**osteà flagranti Christi moriturus amore  
 Dic, quæso: latebras cur fugitivus adis?  
 Est propior quò quisque Deo, defensor honoris  
 Debet eò, Cai, promptior esse Dei.  
 Te tuus ad pœnas Ordo primum ordine poscit,  
 Primus ad hâsque tuo cogeris ire Gradu.  
 Ergo tuum servato Gradum; te nemo Tonanti  
 Est propior: debet nemo præire tibi.  
 Expectas fratrem, similes ut Martyr honores  
 Obtineat? socius jam tibi frater adest.  
 Cæsaris eripuit vobis vitam ira caducam:  
 Vitam, quæ finem nescit habere, dedit.



*April.*

## S. Georgio Martyri.

LXXXIV.

Die 23.

**C**UM tibi tot meritæ fuerint præludia palmæ,  
 Palma inopina tibi nulla venire potest.  
 Vincere prædoctus miles, Comes, atque Tribunus  
 Pro nihilo, pœnæ quidquid adibis, habes.  
 Pectore dum libras saxum prægrande supinus,  
 Fortior haud cælum vertice librat Athlas.  
 Qui solitus quondam gladios ridere, minaces  
 Macrones rides, reris & esse rosas.  
 Igniterâ dein calce dies tres obrutus exis  
 Acrior, atque novus calcis ab igne pugil.  
 Jure tibi duplex debetur laurea : a Chriltus  
 Dat primam in vinclis, ense secunda datur.

a Ex Metaphr.



April,

S. Marco Petri discipulo, postea  
Evangelistæ.

LXXXV.

Die 25.

**D** At petra Petrus aquas doctrinæ: Marce, reple ris;  
Protinus huc illoc dividis ore, stylo.  
Nec rivos claudis, postquam sat prata biberunt;  
Prata bibant avidè, plura bibenda manent.


S. Cleto Pap. & Mart. qui primus  
illis usus est verbis: *Salutem, &*  
*Apostolicam benedictio-*  
*nem.*

LXXXVI.

Die 26.

**M** Ittere cùm primus soleas ad ovile salutem;  
Missa tuo sanè salvat ab ore salus.  
Mittere ne verbis tantùm videare salutem,  
Pro grege salvando, Maxime Pastor, obis.

*Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*  
Joan. 10. 11.



D

S. Mar-

*April.*

S. Marcellino Papæ Christum  
neganti, & postea Mar-  
tyri.

LXXXVII.

*Eodem die.*

**E**ccuinam liceat posthac sibi fidere, toto  
Corpore cum videat te tetigisse solum?  
Petra a Petrus cecidit, cecidisti tu quoque petra:  
Fortior a casu surgis, ut ille prior.  
Cum meritis sit uterque Gigas, utrique cadenti,  
Antæo plusquam, robora terra dedit.

*a Tu es Petrus, & super hanc petram &c. Math.  
16. 18.*

S. Vitali militi, & Martyri qui Ursi-  
cinum medicum in tormentis  
titubantem confirmavit.

LXXXVIII.

*Die 28.*

**M**iles eras validus; meliore sed arte peritus  
Fis medici medicus, qui nimis æger erat.  
Et, tua ni relevasset eum medicina, periret;  
Attamen æternum, te relevante, valet.  
Semper & ipse valens audire merebere nunquam:  
Es medico medicus? non minus esto tibi.

## S. Petro Martyri.

LXXXIX.

Die 29.

**Q**UO semel est imbuta recens, servabit odorem  
 Testa diu: servas non secus usque Fidem.  
 Sugere penè puer vix desinis ubera matris,  
 Ejusdem Fidei mox elementa bibis:  
 Aut alimenta vocem melioris ab ubere Matris  
 Pressa, quibus penitus mens recreata viger.  
 Vir potes à teneris, leo sicut ab unguibus, annis  
 Perpendi, cum sis nescius esse puer.

## Aliud.

XC.

**V**irga a petram percussit, aquæ flux ére; bipennis  
 Dira ferit Petrum, sanguinis unda fluit.  
 Explevère sitim si flumina, sanguis & explet:  
 Illis gens sitiens, hoc saturatur amor.

*a Percussit petram, & fluxerunt aquæ. Psalm. 77. 20.*



April.

S. Catharinæ Senensi, cui Christus  
dixit: *Ecce, filia mea, habes pro corde*  
*tuo cor meum.* Benedict. Ha-  
esten Scholæ cordis  
l. 3. lect. 1.

XCI.

Die 30.

**C**OR, Catharina, tuo cordi spontanea Sponso,  
Spontè suo cordi cor dedit ille tibi.  
Hoc sed enim faciunt duo corda reciproca : Sponfi  
Corde quidem vivis, vivit & ille tuo.  
Hic tua vita, tuum cor, amor tuus omnis, & unus:  
Huic cor, vita manes, unus, & omnis amor.





# MAIUS.

S. Philippo Apostolo super illud:

*Philippe, unde ememus panes &c.*

Joan. 6.5.


XCII.

Die I.

**N** Uminis aeterni quis consiliarius unquam  
 Extitit? id quemdam jure rogasse liquet.  
 Fortè rogaturus tamen id sine jure, Philippus:  
 Noster hic in mentem si subiisset, erat.  
 Ex tot dilectis (lege sacra volumina) nullum  
 Pater eum legitur consuluisse Deus.  
 Ergo à consilijs Magni manet ille Tonantis;  
 Quis tanto (dicas) auctus honore fuit?  
 Nò dat honor finem, sed honor cumulatur honore;  
 Crux honor est Dño maximus, b huicque simul.

a *Quis consiliarius ejus fuit? Isai. 40. 13. & Rom.*  
 11. 34.

b *Pro Christi nomine Cruci affixus est. Ex Brev.*



Mai.

Ad S. Jacobum Apostolum fratrem  
 Domini: cui assiduitas orandi  
 callum genibus obdu-  
 xerat.

XCIII.

Eodem die.

**T**AM benè quis toto precibus, callose precato;  
 Sollicitare pijs call uit Orbe Deum?  
 Si frater cum Fratre Deo non audet inire  
 Colloquium, genibus quin premat antè solum:  
 Quid faciam non frater ego, sed servus iniquus?  
 Cum Dominò que meo quomodò, quidve loquar  
 Quàm similis frater Fratri! cognomine Justus  
 Jacobus, Justus dicitur ipse Deus.

S. Athanasio Ep. & Confess.

XCIV.

Die 2.

**F**ervet in innocuum scelerata calumnia; livor  
 Fervet in immeritum: gens inimica fremit.  
 Voce venit querulâ petulans muliercula: stuprum  
 Illatum simulat; nil tamen illa probat.  
 Gens inimica studet falsis superaddere falsa;  
 Omnia nequitiam fronte, dolòsque gerunt.  
 Delitet ille patris monumento, Luna bicornis  
 Pleno visa suo dum fuit orbe quater.  
 Prodiit ad vivos, vivos & mortuus inter  
 Præmia pro meritis non moritura tulit.

Inven

## Inventioni S. Crucis.

XCV.

Die 3.

**P**erfida gens odio Crucis occultavit eandem,  
 Qua vicit mortem mortua Vita Deus.  
 Hanc tamen est Helenæ labor omnis, & omnia vota  
 Quætere: & inventam tollit, habetque sibi.  
 Dis nimium tanto thesauro facta revertit;  
 Vile fit omne aurum, gemmâque cuncta jacet.

## S. Alexandro Pap. &amp; Mart.

XCVI.

Eodem die.

**M**agnus Alexâder totum quasi subdidit Orbem:  
 Quem ditione tamen tu meliore tenes.  
 Huic magnum fuerit Magni cognomen habere:  
 Maioris parvum suspicor esse tibi.  
 Solus es (idque satis) ter Maximus ergo vocandus,  
 Scilicet officio, nomine, martyrio.



Mai.

S. Monicæ Divi Augustini du-  
pliciter inatri, quia eum  
mundo, & cælo  
peperit.

XCVII.

Die 4.

**N**on Monicæ monitis modus est, neq̄ fletibus, unū  
Dum videat natum se peperisse iterum.  
Vix iterum peperit, gaudet: natōque renato,  
Fletibus, & monitis jam modus omnis adest.  
Læta puerperio primo, magis illa secundo:  
Prima parens felix illa, secunda magis.

S. Joanni ante portam Latinam:  
qui in ferventis olei do-  
lium inissus illæsus  
exivit.

XCVIII.

Die 6.

**F**ervida non minuit Pallas, sed adauget amorem:  
Pallade flamma, simul Pallade vivit amor.  
Ignis amor verus quovis violentior igne est:  
Pallade plūs ideo vivit, & ardet amor.



S. Stanislao Episcop. & Mart. qui  
Hostiam immaculatam ad  
altare offerens fuit ob-  
truncatus.

XCIX.

Die 7.

**N**ON sine jure locum cædis, tempusque notavi:  
Mythica sunt etenim tempus, itémque locus.  
Sacra quidem faciens offers, offerris ad aras:  
Victima fit duplex, utraque grata Deo.

S. Gregorio Nazianzeno Poetæ  
elegantissimo ruri vitam  
monachi exercenti.

C.

Die 9.

**C**Alliope fileat, fileat citharædus Apollo:  
Musa canit maior, maior Apollo canit.  
Carmina secessum scribentis, & òtia quærunt:  
Rus hæc, mors autem gaudia vera dedit.



Mai.

S. Antonino Archipræsuli Florenti-  
no : cujus ægrotantis illa verba  
feruntur : *Servire Deo reg-  
nare est* &c. Ex Vin-  
cēt. Mainard.

CI.

Die 10.

**E**ST, ut ais, servire Deo regnare; quis autem  
Te maior Servus, Rex quoque maior erit?  
Æger adhuc servis, servis moribundus: eodem  
Servitio moreris: mortuus astra petis.  
Rex, quia Servus, eras; ergo quid pileus affert?  
Plura quidem: Regem te sine fine facit.

Eidem, cujus morientis feruntur hæc  
verba : *Sancta, & immaculata Vir-  
ginitas, quibus te laudibus esse-  
ram, nescio.* Ex eodem  
Vicent. Mai-  
nard.

CII.

**V**irginitatis eras custos acerrimus: idem  
Eximius præco Virginitatis obis.  
Illius ad cælum tollis facundus honorem,  
Dum moreris Virgo, Virgo tenesque polum.

S. Gor.

S. Gordiano judici nondum Christiano, postea Martyri, & in cryptâ Epimachi Martyris confepulto.

CIII.

Eodem die.

**D**UM reus est iudex, juris pervertitur ordo.  
 Definit esse reus, juris & ordo viget.  
 Juris & ordo viget, iudex & redditur æquus:  
 Bis a sex jam tribus dicere jura potest.  
 Alter humatus eum secum deposcit humanum;  
 Continet urna, quibus nex fuit una, duos.

*a Sedebitis & vos judicantes duodecim tribus Israel. Math. 19. 28. Justi judicabunt nationes. Sapient. 3. 8.*



Mai.

SS. Nereo, & Achilleo fratribus, &  
Martyribus á S. Petro Aposto-  
lo baptizatis.

CIV.

Die 12.

**S**Eparat interdum geminos discordia fratres,  
Sed non, queis unus sanguis, & una Fides.  
Unanimes igitur varias patiuntur Achilleus,  
Et Nereus pœnas, unanimesque domant.  
Petra duplex suffulcit eos, virésque duobus  
Suppeditat: Christus *a* prima, secunda *b* Petrus.

*a* Petra autem erat Christus. 1. Corinth. 10. 1.

*b* Tu es Petrus, & super hanc petram &c. Math.  
16. 18.

S. Flavix, & collactaneis, quæ omnes  
unà, iudicis jussu cubiculo in-  
censo, Martyres evase-  
runt.

CV

Eod. die.

**I**N *a* terram quem factus homo Deus intulit ignem,  
Concipitis: vehemens corda pererrat amor.  
Hoc, & non alio vos igne fuistis adustæ;  
Alter erat vobis ignis ad instar aquæ.

*a* Ignem veni mittere in terram. Luc. 12. 49.

S. Pan.

## S. Pancratio Mart.

CVI.

Eod. die.

**F**Acta Fidē firmant, animāntque : infirma putatur  
His sine, vel potius & non animata Fides.

Fortia patrabunt alij ; fortissima patrat

Pancrātius peragens nobile pancratium.

Ergo Fidem factis cuivis animare licebit;

Nullius sed erit plus animata Fides.

*\* Fides sine operibus mortua est. Jacob. 2. 20, & 26.*

S. Bonifacio Martyri, quo patiente,  
terra tremuit.

CVII.

Die 14.

**S**Atque, supérque sui mensuram nominis implet,  
Nomine pro tanto qui bona tanta facit.

Tantum nequiens meritorum pondera ferre,

Dum tremuit, Superos terra poposcit opem,



Maij

S. Ubaldo à primis annis pietate, & literis egregiè instituto.

CVIII.

Die 16.

**P**Ræveniens Pietas natam despondet Ubaldo  
Pallada non fictam, donec ephébus erat.  
Nil igitur mirum est, *b* trepidus quòd obediat Orcus;  
Imperio sapiens subdet & astra suo.

*a* Vera sapientia vera pietatis filia.

*b* Ejus virtus in effugandis spiritibus immundiis  
elucet. Ex Brev.

S. Venantio Mart.

CIX.

Die 18.

**V**incula, flagra, vepres, incendia, vulnera, fumum;  
Et pariter nihili fata suprema facis.  
Omnia, Venanti, tibi sunt ea parvula præda;  
Una tamen supere st maxima præda tibi.  
Mox capis, atque tenes felix Venator; at unum;  
Cùm non sit duplex, sufficit Empyreum.



S. Petro Cælestino, qui è solitudine  
in Cathedram Divi Petri af-  
citus, aliquot pòst annis  
revertit in ere-  
mum.

CX.

Die 19.

**Q**UÆ loca sola puer petijt, colustque, ministrant  
Vires, & nutantis fit quibus Orbis Athlas.  
Vix humeris firmum sensit, cuiusque ferendum,  
Cùm posuit: redijt, quò re vocabat amor.  
Ast ibi delicijs tot Cælestinus abundat,  
Cælestem videant ut loca sola virum.

*Ecclesia Romana diu tunc erat viduata Pastore.*  
Ex Breve.



Mai.

S. Pudentianæ, cujus in ædibus  
Summus Pontifex propter  
Imperatoris metum sa-  
cra faciebat.

CXI.

Eodem die.

**N**ULLA datur pietas, dabitur nec maior in Orbe;  
Quæ miseros opibus, protegis æde Deum.  
Ex a minimis quodcumque suis impenditur uni,  
Impensum ducit, dicit & ille sibi.  
Quanta suis autem, pariterque impendis eidem,  
Præmia pro tantis quæ tibi digna dabit?  
Tanto nempe tui cumulantur honore Penates,  
Ut sit ibi b Cæli porta, domusque Dei.

- a *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis mis-  
eris, mihi fecistis, Math. 25. 40.*  
b *Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cali.  
Genes. 28. 17.*



S. Bernardino sanctissimum nomen  
JESU semper in ore, & pec-  
tore gerenti.

CXII.

Die 21.

**B**IS pueros passim quosdam miramur, at unum  
Te. bis maturum, térque, quaterque senem.  
Nam puer, & juvenis, nec non vir, & oblitus annis  
Ludicra non unquam, seria semper amas.  
Est aded cordi sanctum tibi nomen JESU;  
Ut cor non aliud sit, nisi tale, tibi.  
Cor sedem vitæ sophiam dixere professi;  
Est vitæ sedes a VITA sed ipsa tuæ.

a Ego sum vita. Joan 11. 25.

S. Mariæ Magdalenaë de Pazzi.

CXIII.

Die 25.

**P**Enè simul tecum virtus prodit ab alvo:  
Unde tenet totidem, quot tua vita, gradus;  
Imò gradus vitæ gradibus virtutis anhelis  
Exuperas; factis est tibi vita minor.  
Vivis, a & haud vivis, cum sic rapiaris, ut extra  
Te tibi nil vivas tota dicata Deo.

a Vivo autem, jam non ego; vivit verò in me Christus.  
Galat. 2. 20.

Mai.

S. Urbano Pap. &amp; Mart.

CXIV.

Eod. die.

**Æ** Theream properat meritis Urbanus ad Urbē:  
 Nam nihil Urbano rustica nostra placent.  
 Vim a tamen Urbs Cæli patitur; violentus at Urbē  
 Hanc rapit Urbanus, pro meritisque tenet.

*a* Regnum calorum vim patitur. Math. 11. 12.  
 Et violenti rapiunt illud. ibidem.

S. Philippo Nerio, cujus cor Domi-  
 nus ampliavit.

CXV.

Die 26.

**Æ** Stuat intus amor quærens spiramina clausus:  
 Quæ nisi mox habeat, corda peruret edax.  
 Fert properanter opem, tantos qui suscitatur ignes,  
 Et a cupit accensos, ille Cupido tuus.  
 Franguntur costæ: spiracula dantur amanti:  
 Ignibus atque sinus laxior inde datur.  
 In cineres aliter fueras redigendus: inertes  
 Fert etenim nullas intima flamma moras.  
 Talibus accendens igitur præcordia flammis  
 Est adeò miram præmeditatus opem.

*a* Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi  
 accendatur? Luc. 12. 49.

S. Eleuthe-

## S. Eleutherio Pap. &amp; Mart.

CXXVI.

Eodem die.

**E** Cce a tuo penitus Rex Anglus aberrat ovili,  
Propterea que velut devia balat ovis.

Excipis in caulam Regemque, gregemque Britanum:  
Anglia tot sanctos protulit unde viros.

Denique perpetuens Christi pro nomine mortem  
Victor abis, dum te mors manet ipsa minor.

a. *Ad illum supplices litera venerunt a Lucio Britannorum rege, ut se, ac suos in Christianorum numerum reciperet. Ex Brev.*




Mai.

S. Joanni Pap. & Mart. cui equus  
 commodatus mansuetus, ita  
 ferox evasit, ut sessorem  
 quem vis deinceps  
 excuteret.

CXVII.

Die 27.

QUI sua dorsa tibi pandi semel instar a felli  
 Subdidit, eccuinam postea subdet equus?  
 Plusquam Bucephalus tanto sessore superbus  
 Jam nec Alexandro terga premia dabit.  
 Invidia cruciantur equi Phaëtonis: & ipse  
 Pegasus æthereâ cedit ab arce loco.  
 Qualis ab ignifero mittit Sol aureus axe,  
 Talis ab ascenso lumina mittis equo.  
 Postmodò, vera tuâ dum firmas dogmata morte,  
 Luce tibi penitus cedit Apollo suâ.



S. Felici Pap. & Mart. constituenti, ut  
Missa supra memorias, & Mar-  
tyrum sepulchra celebra-  
retur.

CXVIII.

Die 30.

EST addenda brevì triplici rubra quarta coronæ,  
Tergeminæ nec non inclyta palma Crucis.  
Tunc &, Martyribus quos nunc indicis honores,  
His quoque tu Martyr condecorandus eris.

S. Petronillæ Virg.

CXIX.

Die 31.

CUM a sit virtutum virtus, flos denique florum  
Propria virginitas mentibus æthereis:  
Virginitate potens punctum simul omne tulisti:  
Nec superest aliud (crede) quod inde feras.

a Virginitas est regina virtutum, soror Angelorum  
Cyprian. de Virginit.



## JUNIUS.

SS. Petro, & Marcellino Marty-  
ribus.

CXX.

Die 2.

**Q**uid facis, impietas? dirumpit vincula virtus:  
Vincula deridet vincus amore Dei.  
Vincula non igitur religant adamantina Petrum;  
Multiplicas? virtus multiplicata viget.  
Nec tua deludit tantum; deludere cernas  
Vincula, quæ vinculis sunt graviora tuis.  
Dæmonis in vinculis mulier miseranda jacebat:  
Solvit eam, virtus ipsa repente Petri.  
Ille alter focius multis cum millibus unam  
Sacris ritè domum purificavit aquis.  
Vitri fragminibus quem nudum carcere strato  
Claudis; at est virtus clarior, atque vitrum.  
Dividis ipsa loco, sed eos amor unus adunat,  
Unaque se junctos jungit ubique Fides.  
Quinetiam, impietas, mox inscia jungis utrumque  
Nam caput abscindens jungis utrumque polo.



## S. Erasmo Martyri.

CXXI.

*Eodem die.*

**Q**uid plumbum, resina tibi, quid sulphur, olivum,  
 Et liquefacta potest cera nocere? nihil.  
 Hæc fervent; sed amor Christi ferventior urit:  
 Cunctaque fervidior fervida sorbet amor.

## S. Norberto Confessori.

CXXII.

*Die 6.*

**N**ON te dignus erat Cæsar, non Orbis; Olympo  
 Dignuseras: dignum dignus Olympus habet.



Jun.

SS. Primo, & Feliciano fratribus,  
& Martyribus.

CXXIII.

Die 9.

**H**oc pare par fratrum dabitur non fortius usquā:  
Hos tormenta duos non duo mille domant.  
Tunc Prætor, præceps quem commovet ira, leones  
Immittit superans & feritate feras.  
Ecce truces veniunt; sed eos a Leo fortior alter  
Ecce suo mites numine reddit oves.  
Inclamat Prætor furiosâ mente securim:  
Quæ ferit, & fratres mittit ad astra duos.  
*a Vicit Leo de tribu Juda. Apoc. 5. 5.*

S. Barnabæ, qui ab omnibus vir bonus  
habebatur, & cum Paulo Gen-  
tium Apostolus ordina-  
tus est.

CXXIV.

Die 11.

**N**ON bonus, at melior: melior non, optimus autē  
Es: tu par Paulo, par tibi Paulus erit.  
Corpora sunt equidem penitus distincta duobus;  
Bina tamen Christi corda revincit amor.  
Vos amor hic vehemens terras peragrarè remotas,  
Et facibus tantis irradiare facit.  
It tamen ad Superum coetus prior unus, eodē  
Nunciat & socium jam properare suum.

SS. Basil.

SS. Basilidi, Grino, Nabori, & Nazario Martyribus.

CXXV.

Die 12.


**E**ffigies ridete deum, rideteque poenas:  
 Quemque tyrannorum ludificate pares.  
 Istorum vobis jam vincitur unus, & alter:  
 Milléque si fuerint, forse ea mille manet.  
 Denique palmarum jam pondera ferre nequitis;  
 Ascia cædit eas, & super astra ferit.

S. Antonio Ulyssiponensi Puerulum  
 JESUM in manu tenenti.

CXXVI.

Die 13.

**E**st speculû Christus, speculû est Antonius:ambo  
 Alter in alterius se simul ore vident.  
 Inde Dei speculum radians Antonius, inde  
 Et Deus Antonî fit, radiânsque magis.  
 At capiens, referénsque Antonius ipse Tonantem  
 Plûsque Tonante capit, plûsque Tonante refert.



Jun.

S. Basilio Magno, qui tantum spiritu  
vivens, præter ossa, & pellem,  
nullâ corporis parte con-  
stare videbatur.

CXXVII.

Die 14.

CUM fuerint alij Magni cognomine dicti,  
Hoc tibi cognomen vix fore credo satis.  
Maximus, ut meritis, debes cognomine dici;  
Vix homo quod fueris, pellis, & ossa probant.

SS. Vito, & socijs Martyribus.

CXXIII.

Die 15.

EXUIT ille patrem pater impius, horrida natum  
Verbera Christicolam qui tolerare facit.  
Littus arat: nimis inde dolet, graviora, volutat;  
Quisquis eum videas, non genuisse putes.  
Angelico monitu (Sanctos ita curat Olympus)  
Filius eludit vota scelestâ patris.  
Quem pater insequitur, cruciat quæ Cæsar iniquus,  
Huic, simul & socijs bellua blanda favet.  
Terra tremit, geminat tonitrus, & fulgura Cælum:  
Unde etiam a pœnas fana profana luunt.

a *Templa decorum corruerunt. Ex Brev.*

SS. Marco, & Marcelliano ad stipitem alligatis: qui tandem, pedibus clavis confixis, transfixi sunt telis.

CXXIX.

Die 18.

**N**IL opus est clavis, nil stipite. Corpora pœnis  
Exhibet innumeris fortis uterque scopum.

Ut resipiscatis, iudex hortatur iniquus:

Desipit ista monens: semper enim sapitis.

Quot poterit, pœnas in vos meditetur atroces:

Quippe tot ambrosias apparat ille dapes.

Protinus in virides abeunt hastilia palmas;

Omnibus hinc cædi plurima palma potest.

SS. Gervasio, & Protasio Martyribus  
Martyrum filijs.

CXXX.

Die 19.

**H**Æredes ex asse duos scripsere parentes;

Divitias sed enim legat uterque novas.

Martyrium pariter legavit uterque duobus;

Natos tam dites nemo reliquit adhuc.

Jun.

S. Silverio Pap. & Mart. cujus illud  
 est: Sustentor pane tribulationis, &  
 aquâ angustiae; nec tamen di-  
 misi, aut dimitto offi-  
 cium meum.

CXXXI.

Die 20.

**E**xtenuant alios, recreant te nempe labores:  
 Qui quasi mors alijs, sunt tibi panis, aqua.  
 Officij veterem nequeunt servare tenorem  
 Innumeri, dubios quos labor ullus agit.  
 Tu tamen ærumnis compluribus undique septus  
 Officij custos officiosus eras.  
 Conficeris tantis tamen ipse laboribus: id quod  
 Tam tibi, quàm reliquis expedijse liquet.  
 Expedijt tibi, (cui victus, cui vita labores  
 Semper erant) merces quò tibi digna foret.  
 Expedijt reliquis, meritum quibus omne tulisses,  
 Dum prior approperas omnia dura pati.



Jun.

S. Paulino, qui, consumptis rebus  
omnibus in officio pietatis, se  
ipsum pro quodam cap-  
tivo in servitute[m]  
tradidit.

CXXXII.

Die 22.

**D**UM tibi nec retines, quod vita requirit alenda,  
Unde nimis pauper, dis nimis inde manes.  
Omnia cum dederis, superes tu denique dandus:  
Jam daris, & superas omnia danda datus.  
Tam ditem gemmam terris invidit Olympus:  
Præripuitque celer, quam sibi lætus habet.

Nativitati S. Joannis Baptistæ.

CXXXIII.

Die 24.

**B**osphorus exortum veluti præcurrere Solem  
Afferret, & terris nunciat esse diem:  
Sic & Joannes Christum præcurrit, & Orbi,  
Qua fuit haud melior, nunciat esse diem.  
Quos tamen inde trahit radios, penitusque revelat,  
Acceptos Soli fida lucerna refert.  
Arrogat ille nihil sibi luminis, imò fatetur  
A' pedibus famuli nec meruisse decus.  
Ut quoque se maior fiat, minor esse præoptat;  
Excipias Christum, nemóque maior eris.

SS. Joa-

Jun.

SS. Joanni, & Paulo fratribus, quorum ad sepulchrum quidam a dæmone oppressi liberantur.

CXXXIV.

Die 26.

**I**mpius ille pios accersit apostata fratres,  
Subdolus atque sibi conciliare parat.  
Obsequium præstare negant simul ambo neganti  
Numen id, unanimes quod simul ambo colunt.  
Illorum cædem Plutonia turba latentem  
Prædicat: & cæsos nunc magis illa timet.

S. Leoni Papæ musicis erudito.

CXXXV.

Die 28.

**A**thereo cantare choro Pennata Juventus  
Asolet: haud aliter cantat in Orbe Leo.  
Illaque dulcisonas crebro modulamine voces  
Ingeminat, noster dulcisonasque Leo.  
Hymnisonasque, novosque modos docet ille canēdos  
Orpheus atque vetus, dum canit ille, tacet.  
Ad modulum Psalmos meliorem nempe reducit:  
David & in terris creditur esse novus.  
Ad terram cæleste melos trahit ille canendo;  
Alter erat vivo terra Leone polus.

## SS. Petro, &amp; Paulo Apostolis.

CXXXVI.

Die 29.

**U** Nicus æthereum peragrat Sol aureus orbem:  
 Sol peragrat terras aureus, isque duplex.  
 Sol radiosus enim Petrus, Sol Paulus: utrique  
 Submittit proprias victus A pollo faces.



Jul.



## JULIUS.

Visitationi B. M. V.

CXXXVII.

Die 2.

**A** Pproperat gravidata Deo nimis inclyta Virgo  
 Hoc siquidem pondus non gravat, imò levat  
 Nam velut immensum, sic est sine pondere pondus  
 Plena Deo celeres quàm movet illa gradus!  
 Quem gerit, hic alas pedibus properantibus addit;  
 Non currit, Virgo sed gravidata volat.  
 Jam Virgo sterili, sterilis gratatur eidem:  
 Utraque sæcundam se videt, idque stupet.  
 Jamque salutatur Mater, quæ ancilla vocari  
 Maluerat: a mirum carmen & inde canit.  
 Adstantes Superi vix audivere canentem,  
 Quid superest? aiunt; Musica nostra jacet.

a Magnificat anima mea Dominum &c. Luc. 1. 46



SS. Processo, & Martiniano Petrum,  
& Paulum custodientibus in car-  
cere, eorumdem prædicatione  
ad Christum conversis, post-  
ea Martyribus.

CXXXVIII.

Eodem Die.

**P**lūs nimio felix custodia vestra micantes  
Custodit gemmas vincla per arcta duas.  
Allicit una Petrus, vos allicit altera Paulus;  
Creditis, & pariter ceditis alterutri.  
Jam vobis penitus cæli se Regia credit,  
Sidera jam vobis cedere clara facit.



Jul.

S. Elisabeth Regina Portugallia  
cognomento Regina Sancta  
nuncupata.

CXXXIX.

Die 4.

**R**egibus, & regnis exsurgit Elisabeth una  
Pax, amor, auxilium, gloria, lumen, honor:  
Virginibus, nuptis, viduis sanctissima norma,  
Optima pupillis, pauperibusque parens.  
Est aded virtute potens Regina, triumphet  
Ut morbos signo fortificata Crucis.  
Vix putridum labris tetigit reverentibus ulcus,  
Cum subito pauper foemina sana manet.  
Abnuit a medicis praescriptum sumere vinum;  
Vertitur in mirum lympham bibenda merum.  
Reginae dictis regina pecunia paret;  
Esse rosas dicit: dicit, & ecce rosas.  
Caestis terrestre fuit praeludia regnum.  
Sancta polo regnat Sancta vocata solo.



## S. Margaritæ Scotorum Regina.

CXL.

Die 8.

**T**Emnis honorificos titulos, tamen expetis unum,  
Præ quo vilescunt omnia regna tibi.

Mater egenorum dici, simul esse præoptas:

Diceris, esque simul: quod cupis, ecce tenes.

Dum prodis Regina, comes pauperrima turba

It, tegit atque suæ Matris utrumque latus.

Vile satellitium Mundo, sed amabile Cælo est,

Veram Reginam te quod ubique facit.

## SS. Septem Fratibus, inatre hortante, Martyribus.

CXLI.

Die 10.

**T**Antam (dic) matrem quænam Spartana Virago,  
Aut ex magnanimis æquet Amazonibus?

Ipsa quidem se sola potest æquare, triumphii

Quæ septem natis maxima causa fuit.

Quot natis, totidem matri cessere coronæ,

Utpote cui proles debeat omne decus.

Mater ut in natis, in a se sic denique vincit;

Quàm bonus & finis tale coronat opus!

*a* Quarto post mense eandem martyrij palmam consecuta est. Ex Brev.

Jul.


SS. Rufinæ, & Secundæ sororibus, &  
Martyribus.

CXLII.

Eod. die.

**C**onnubium mortale negant se velle forores:  
Immortale petunt, quas facer urit amor.  
Plurima pro Sacro sitiunt opprobria Sponso:  
Mille neces, detur si modo ferre, ferent.  
Invidet unius crudelibus altera flagris:  
Flagra decus, veniam dedecus esse putat.  
Talibus aggreditur dictis animosa tyrannum:  
Quod decus illa, soror non adipiscar ego?  
Utraque nēpe soror, pariter colit utraq̃ Christū  
Flagrorum pudeat, quæ tulit ille prior?  
Post varias forti toleratas pectore pœnas  
Ad rapidas Tiberis præcipitantur aquas.  
Innumera sed aquæ nequeunt extinguere flāmas  
Quæ flagrans intūs mollia corda rapit.  
Sanguine non maius pretium datur; utraq̃ Spōsa  
Sanguine conciliat, Perpetuūque tenet,

*Aqua multa non potuerunt extinguere charitatem. Cantic. 8. 7.*



S. Pio Papæ, &amp; Martyri.

CXLIII.

Die 11.

**E** Gregium pietatis opus qui sanguine patras,  
Inde quidem remanes nomine, réque Pius.

S. Joanni Gualberto militi, qui fra-  
tris interfectori vitam indulgit:  
ob quod ei postea Cruci-  
fixi imago caput  
flexit.

CXLIV.

Die 12.

**A** Rte novâ miles contra se pugnat, & hostem  
Cùm superet tantum, nemo timendus erit.  
Denique se vincens, alium parcendo triumphat:  
Unde (liquet) melior victor, & ultor adest.  
De Cruce quod Christus docuit, fecitque, jubenter  
Id Gualbertus agit, Christus & ipse probat.  
Saxea gens hominum, faxis & durior ipsis,  
Vincere te certa: parce benigna probris.



Jul.

SS. Nabori, &amp; Felici Martyribus.

CXLV.

Eodem die.

Quis memoret vestros tãtos in agone triumphos!  
 Viderit hos aliquis, sed memorare nequit.  
 Non memoranda quidem, solùm miranda patrãstis;  
 Mentibus attonitis, ora filere decet.

S. Anacleto Pap. & Mart. qui decre-  
 vit, ut in Missã, peracta conse-  
 cratione, omnes commu-  
 nicarent &c.

CXLVI.

Die 13.

Jam nequeunt metuisse famẽ, quas undique duc  
 Pervigilans pastas tam benè Pastor oves.  
 Imò lupos ipsæ possunt arcere cruentos,  
 Quas Christi verã carne cibare jubes.  
 Pastorique, gregisque licet dare membra quieti:  
 Reddit enim tutos Esca Salutifera.  
 Functus es officio tandem cum sanguine Pastor,  
 Ut pateat Christi te tenuisse vices.



S. Bonaventuræ Cardinali, qui moriturus, cùm vomitu laboraret, lateri cibum divinum jussit admo-  
veri, & ecce inde ad ipsum  
cor se Eucharistia pene-  
travit. *Ex vitâ, & Thom.*

Bozio.

CXLVII.

Die 14.

**A** Quales aded pietas, doctrina renident,  
Palma, sit ut dubium, debita detur utri.  
Hæ te purpurei partem fecere Senatûs;  
Purpura proh quantum te pretiosa decet!  
Cum tamen obtineat genuina modestia vultum,  
Purpura nulla rubet, sicut honore rubes.  
Admotus lateri morituri Christus in escâ  
Cordis ad ima novam munijt inde viam.  
Christi nempe latus fit maxima porta Sacrorum;  
At Sacramento maxima porta tuum est.



Jul.

S. Henrico Imperatori nihil sine precibus aggredi solito.

CXLVIII. Die 15.

**A**Rma vibrent alij, tractant qui bella feroces:  
 Tu precibus pugnans, hostibus arma finis.  
 Debellant alij telis multò ægrius hostem,  
 Quàm tu, dum vibras maxima tela preces.  
 Non hostem precibus modò debellare superbum,  
 Sed Superos etiam flectere ritè soles.  
 Inclytus Imperio, multò magis inclytus autem  
 Es virtute: tibi quæ dedit Empyreum.

S. Alexio peregrinãti, & sub scalis  
 paternæ domûs ignoto tandem morienti.

CXLIX. Die 17.

**I**Gnoscat natale solum, nova nupta, parentes  
 Ignoscant ipsi, dum peregrinus abis.  
 Te peregrinus amor peregrinum cogit abire,  
 Rarâque te pietas ad loca sancta trahit.  
 Jam reducem, veluti peregrinum, Roma recepit.  
 Sic recipit nec non ipsa paterna domus.  
 Sub scalis ignotus obis; at constat iturum  
 Ad cælum multas te fabricâsse prius.

S. Symphorosa Mart. Getulij Mar-  
tyris uxori, & septem filijs  
etiam Martyrib.

CL.

Die 18.

**R**EX habeat natos plures: è pluribus unum  
Hæredem instituet, Rex hic & unus erit.

Martyrio verus Rex est Getulius: uxor

Et Regina simul par diadema gerit.

Regna tamen legant septenis singula natis:

Sique forent plures, singula regna forent.

Qui regnum terrestre petunt per tela, per ignes,

Huc, precor, huc flectant ambitionis iter.

S. Margaritæ Virg. & Mart.

CLI.

Die 20.

**E**T a pater, & Præses conspirat, & ater Avernus.  
Præses amat primò; despicias: inde furit.

Nec pater accusans, Præses nec amore, nec irâ

Proficiunt: penitus victus Avernus abit.

Est tibi quæ clypeus Crux unicus, illa trophæum

Erigitur: plaudit dia Columba tibi.

Vulneribus pariter divina Columba medetur:

Imponit capiti post diadema tuo.

Invidet, atque fero Præses caput amputat ense:

Inscius ille novum sic diadema dedit.

Ex Surio, & Lippelso.

S. Pra-

## S. Praxedi Virgini.

CLII.

Die 21.

**U**Ndique Christicolas pressos agit ira tyranni;  
 Hos tua sed pietas occulit, hósque fovet.  
 Inque Fide stabilis vivos, sepelísque necatos:  
 Fers & opem, quosquos ferrea vincla tenent.  
 Denique tot gravidam meritis arctíssima Tellus.  
 Non capit; aula poli te tamen ampla capit.

## S. Mariæ Magdalenæ.

CLIII.

Die 22.

**S**OL vibrat in niveum flagrantia lumina pectus;  
 Nix calet, in fluvios & resoluta cadit.  
 Quid, nisi tale, nivi licuit sperare, flagrantes  
 Solis adire semel quæ fuit ausa faces?  
 Id satis haud habuit: pedibus quoque Solis inhæret,  
 Calcarique illis obsequiosa studet.  
 Quò tenet illa magis, Sol hóc magis ardet, & urit,  
 Frigida a nix donec flammea prorsus abit.  
*a Quæ prius frigida peccando remanserat, postmodum amando fortiter ardebat. S. Gregor. Pat. Homil. 25 in Evangelia.*



## Aliud.

## CLIV.

**A**ntè libidinibus faciles laxabat habenas;  
 Attamen adductas fortiter usquè tenet.  
 Quam *a* femel elegit, pars hæc sedet optima corde:  
 Hanc tenet in turbis, hanc quoque sola tenet.  
 Barbara saxa sonant, & littora barbara Christum:  
 Præter eum Mariæ corde, vel ore nihil.  
 O' subeas, subeas crebrò mihi, Magdalis: & sic  
 Spe pascens animum crimina flebo mea.  
*• Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur  
 ab ea. Luc. 10. 43.*

**S.** Apollinari Episcopo, & Martyri  
 ab idolorum Sacerdotibus ac-  
 cusato.

## CLV.

Die 23.

**F**laminibus rumpat penitus malus ilia livor,  
 Numinibus vanis qui sacra vana dicant.  
 Ipse Deo Vero veros indicis honores:  
 Indicis Præsul, Præsul eósq; dicas.  
 O' precibus quã magna potes! vox reddita muto est:  
 Dæmones aufugiunt: perdita vita redit.  
 Te præsentem, negat mendax oracula dæmon:  
 Hunc timeant alij, te tamen ille timet.  
 Martyrium pateris: quantò inde decentius ornat  
 Sacra tiara tuum sanguine tincta caput!

S. Chri-

Jul.

S. Christinæ Virg. &amp; Mart.

CLVI.

Die 24.

**Q**uos pater ex auro, argentoque infidus adorat  
 Effictos, frangis tu bene fida deos.  
 Dividis in miseros argentea, & aurea frustra,  
 Propitiósque deos ingeniosa facis.  
 Vicisti patrem, vicisti foemina pœnas,  
 Vincere prævalidos quæ valere viros.  
 In cælum pennas addunt tibi porrò sagittæ:  
 His tu meta pates, sed tibi meta polus.

*Ex Mart. Rom. Adone, & Petr. de Natal.*

S. Jacobo Apostolo. Relicto patre,  
 & retibus secuti sunt eum, &c.

Matth. 4. 22.

CLVII.

Die 25.

**J**ure patri præfers Patrem, nova retia priscis,  
 Piscibus & pisces, quos capis absque dolo.  
 Hi tibi sunt homines: magnos nova retia verrunt,  
 Infimus & parvos: effugit illa nihil.  
 A' vetulis quantum distant nova retia! vitam  
 Piscibus ista ferunt, illa tulere necem.

**S. Christophoro Martyri.**

*CLVIII.*

*Eodem die.*

**C**orpore spectato, miratur quisque Gigantem:  
Spectatis meritis, maior es ipse Gigas.

Alta quidem reliquis, humilistibi janua cæli est;  
Ut subeas igitur, demitur ense caput.

**S. Annæ matri B. M. V. vide: S. Joa-  
chim 20. die Martij.**

**S. Pantaleoni Medico, & Mart.**

*CLIX.*

*Die 27.*

**P**antaleon medicâ nimium præstabilis arte  
Est præstabilior factus amore Dei.

Præcipuum præscribit eum medicamen amorem;  
Est divinus amor nam panacæa potens.

Et valuit pater, & multi valere: tyranno

Utilis hæc soli non panacæa fuit.

Abstulit ille caput Medico: non abstulit ille,

Qui sedeat meritis digna corona, locum.



SS. Martyribus Nazario, & Celso  
puero ejusdem discipulo.

CLX.

Die 28.

**S**I puerum laudem, mihi vir subit ille Magister:  
Si laudémque virum, jam subit ille puer.  
Non sibi, sed puero timet omnia dura Magister:  
Omnia eíque puer, non sibi dura timet.  
Spectator credas utrumlibet esse Magistrum;  
Quos virtus, etiam nex facit una pares.

SS. Victori Pap. & Martyri, & Inno-  
centio Papæ.

CLXI.

Eodem die.

**S**anguinis expensis alij meruere, quod infans  
A' cunis, Victor, jam tibi nomen habes.  
Quid mirum est igitur, tormenta quòd omnia vincas  
Nunc re, qui pridem nomine Victor eras?  
Quid mirum est etiam, vitæ candore quòd alter  
Sit talis, proprio nomine qualis erat?



S. Marthæ in navem sine velo, ac remige impositæ &c.

CLXII.

Die 29.

**N**IL opus est velis, clavo, vel remige navi,  
 Omnipotens pelago quam Palinurus agit.  
 At tua, sit rector quamvis Deus illius, ecce  
 Remigium, clavum, carbasa navis habet.  
 Dexter Amor remex tutissimus æquora pulsat:  
 Alma Fides clavus firmat, agitque ratem.  
 Carbasa Spes supplet ventis impleta secundis;  
 Nunc tibi terra, polus postmodò littus erit.

SS. Felici, Faustino, Simplicio, & Beatri-  
 atrici Martyribus.

CLXIII

Eodem die.

**T**Am fortes Felix sunt, & Faustinus, utrumque  
 Quàm fortunatos nomina fausta notant.  
 Dicere quid poterò de te, generosa Beatrix,  
 Quæ tua facta tuo sanguine, teque beas?  
 Quid de Simplicio, quartus qui robore compar  
 Additus explevit nobile, parque duplex?  
 Cùm vobis nequeam præconia digna referre,  
 Compescam vocem: laus ea maior erit.



Jul.

SS. Abdon, &amp; Sēnen Martyribus.

CLXIV.

Die 30.

**D**UM victos vos Cæsar agit, putat unde triūphū  
 Maiorem, victus, victus & inde manet.  
 Namque triumphatis sic veriūs: ecce leones  
 Redduntur cicures; vestra trophæa patent.  
 Ecce triumphantes gladius necat, ecce coronat:  
 Ecce coronatos excipit aula poli.




S. Ignatio de Loyola militi, & postea  
Societatis JESU fundatori.

CLXV.

Die 31.

Sunt mala, quæ profunt: testaris id ipse, cruentum  
Illatum vulnus cui medicina fuit.  
Lectio librorum pia te communit, & armat,  
Militiæque novæ te dare nomen agit.  
Arma quidem, positis primis, meliora resumis:  
Inviçtum Mariæ format & ara Ducem.  
Omnibus indicis peccatis undique bellum:  
Hæreseos pariter dogmata falsa fugas.  
Inde novumque paras alio sub Sole calentem  
Per socios Orbem conciliare Deo.  
Ipsi at quantæ maior tibi gloria curæ est!  
Est nihil hanc præter corde, vel ore tibi.  
Hanc & adauçurus malles incertus Olympi  
Vivere, quàm ejusdem certus obire diem.  
Cælesti viventis adhuc os luce coruscat,  
Tanquam si facie jam fruerere Dei.  
Contigit eccuinam præcox ita gloria cæli?  
Post sp̄itum reliquos, te beat ante Deus.



August.



## AUGUSTUS.

S. Petro ad vincula.

CLXVI.

Die I.

**Q**UÆ Petrum valuere duæ religare catenæ,  
 Quidquid erit vinctum, solvere jure valent.  
 Dæmonas hinc, morbos illinc virtute relégant,  
 Quarum conspectum cuncta nociva timent.  
 Qualis & est virtus, quoties reperitur in uno  
 Juncta loco, talis juncta catena duplex.

SS. Machabæis in Fide Christi ven-  
 turi martyrium passis.

CLXVII.

Eodem die.

**P**Rævia facta Ducis miles quicumque tuetur,  
 Fortia patranti laus tribuenda minor.  
 Sed duce qui nullo prægrandia facta patrabunt,  
 Militibus tantis laus minor omnis erit.  
 Prævia sunt Christi reliqui vexilla secuti:  
 Vos sine vexillo vincitis, absque Duce.  
 Ergo minus fecere, licet permagna patrârint.  
 Dux reliquos præijt, vos præit una Fides.

August.

S. Stephano Pap. &amp; Mart.

CLXVIII.

Die 2.

**A** Quas voce solo, Martyr nimis inclyte, Martem,  
Et nutare simul fana pro fana facis.

Mars nisi mox caderet (tantum tua verba valerent)

Aquæ res etiam fana profana solo.

Ut penitúsque cadant idóla, profanáque templa,  
Jam tua confirmas sanguine verba tuo.

Inventioni S. Stephani Proto-  
martyris.

CLXIX.

Die 3.

**Q**uid latet in oculis? Quid tantū spirat odorem?  
Et <sup>a</sup> redolent Christum Martyris ossa sui.

Tam pretiosus odor nec deserit ossa sepulti:

Hinc, animata velut, non animata vident.

Lumina restituant cæcis, ægrisque salutem;

Quid facerent (dicas) illa animata magis?

<sup>a</sup> *Christi bonus odor sumus. 2. Corinth. 2. 15.*



*August.*

S. Dominico, cujus mater gravida  
sibi visa est in quiete continere  
in alvo catulum ore præ-  
ferentem facem.

CLXX.

Die 4.

**C**onticeat penitus nimius latrator Anubis:  
Nam latrat melius, qui gerit ore facem.  
Latrat, & illustrat, mordet simul, atque remordet;  
Hæresis á morfu libera nulla fuit.  
Luce fugat tenebras: culpæ fugat ore veternum.  
Sidereo præstat quàm Canis iste Cani!

S. Mariæ ad Nives.

CLXXI.

Die

**J**oannes ex asse parat te scribere solam,  
Uxor & hæredem, si tamen ipsa velis.  
Candidus est animus cum sit nivis instar utrique,  
Hæredem fieri mox utriusque placet.  
Designat nix lapsa locum divinitus Ædi:  
Ædi, quæ maior nomine, réque manet.  
Sub Cane flagranti collem monstrare nivalem  
Tu nive candidior sola, MARIA, potes.  
Quot tibi, VIRGO, nives mortalia pectora castas  
Obtulerint, ponent tot sacra templa tibi.

August.

## Dòminicæ Transfigurationi.

CLXXII.

Die 6.

**A**erium petijt montem Sol clàrior : unde  
 Exerit á facie Numinis ille faces.  
 Erubuit Phœbus multò maiora tuendo  
 Lumina : confusus, nubéque tectus abit.  
 Præ vestis candore sacræ nix alba nigrescit.  
 Nomine mutato Thabor Olympus erat.

## S. Xisto, &amp; socijs Martyribus.

CLXXIII.

Eodem die.

**M**Ars veteri cū Marte novus descendit ad arma,  
 Et cum mentito prælia verus init.  
 Mars novus, & verus Xistus certamine perstat:  
 Mars vetus, & falsus fortia bella gerit.  
 Vult hic adorari : fortissimus ille repugnat,  
 Falsáque deridens numina vera colit.  
 Occisus vincit meliùs, meliùsque triumphat  
 Xistus, & é cælo denique victor ovat.  
 Solus ovat? minimè ; socios quoque sumpsit ovâtes:  
 Gratatus pariter totus Olympus ovat.



August.

S. Caietano plebis peccatorum dolore ægrotanti, & morienti.

CLXXIV.

Die 7.

Quod nomen rari post ultima fata tulerunt,  
 A puerō Sanctus diceris, & que simul.  
 Utque feras alijs, animas ita summa voluptas  
 Est tibi venari, ferréque dona Deo.  
 Magnus earundem Venator jure vocaris:  
 Vilis eam præter cætera præda fuit.  
 Vixisti Sanctus: Sanctus moriturus amasti  
 Per cinerem, & Cilicum tegmina dura mori.  
 Mortis causa tamen plebis peccata fuere;  
 Proh quo flagrabat pectus amore Dei!

*a. Testatus est in cinere, & cilicio velle se mori. Ex Brev.*

S. Donato, & Hilarino socio Martyribus.

CLXXV.

Eod. die.

Hinc Hilarinus adest, hilaris qui fustibus offert  
 Corpus, & hos patitur fortis ad usque necem.  
 Hinc ades, ó Donate, tuo donandus honore;  
 Fustibus ille, decus tu tamen ense tenes.

SS. Cyri.

August.

SS. Cyriaco, &amp; socijs Martyribus.

CLXXVI.

Die 8.

**M** Ira cavernoso detentus carcere patras;  
 Vincula virtutem nulla ligare solent.  
 Hoc & liberior, gravior quò est ira tyranni,  
 Tam tibi, quàm socijs tu rubra fersa paras.

S. Romano Martyri.

CLXXVII.

Die 9.

**V** Ertere Proconsul sacras parat impius aras:  
 Romanus contra nititur intrepidus.  
 Pro aris ut certent, socijque litentur ad aras,  
 Eloquij vires exerit ille sui.  
 Voce nec id solùm tentat: res addere verbis  
 Incipit; & pœnas spontè litandus adit.  
 Plumbatis cæsus plumbi non flectitur instar;  
 Plus autem ferro, plus adamante viget.  
 Liberat, é cælo qui mittitur, ignibus imber;  
 Ignibus ast animi non satis imber erat.  
 Lingua defecta fuit; a loquitur tamen ille: nocentẽ  
 Se negat: & penetrat vocis imago polum.

*a* Linguâ orbatus innocentiam tamen suam prius  
 loqui non desijt, quàm strangulatis faucibus vox  
 intercepta est. Prud. & Chrysoft.

August.

S. Laurentio.

CLXXVIII.

Die 10.

**C** Ondere thesauris si quis cælestibus optet  
 Divitias, teneat, quæ sibi norma datur.  
 Hanc stabilem, rectamque docet Laurentius ille:  
 Ille, sinu miserum qui pius abdit opes.

**E**idem dicenti in craticulâ ad tyrannum:  
*Assatum est jam, versa, &  
 manduca &c.*

CLXXIX.

**A** Rdet hians, inhiansque feroci mente tyrannus  
 Inclamat virgas, flagra, simulque faces.  
 Hi duo cum sitiant Laurentius, atque tyrannus,  
 Hic tam non aurum, quam sitit ille cruces.  
 Intus eum maior multo cum torreat ignis,  
 Cur adhibes lentas, dire tyranne, faces?  
 O' fac edas epulum, tibi quod Laurentius offert  
 Assatum: gusta, prorsus & alter eris.  
 Fastidis sed enim, cujus recreantur odore,  
 Et properant Superi quam rapuisse, dapem.



## S. Tiburtio Martyri:

CLXXX.

Die II.

**S**IC tormenta fitis succensus amore Tonantis,  
Cervus prægelidas ut fitibundus aquas.

Nuda, rosis veluti, figis vestigia prunis:

Quæque repræsentat nam tibi pruna rosam,  
Insimul at sumptæ gratum fecere rosetum;  
Qui caput, hic capiti demetit ense rosas.

## S. Susanæ Virg. &amp; Mart.

CLXXXI.

Eod. die.

**Æ** Ternum fortita priùs castissima Sponsum,  
Mortalem temnis quàm benè fida procum!  
Cæsare natus amat, Summo Patre Natus amavit  
Te prior: hunc redamas, hunc nova nupta colis.  
Perdedit alter amans operam, dum Sponfa necato  
Tu Sponso reddis Virgo necata vicem.



August.

S. Claræ cum Sacrosanctâ Eucha-  
ristiâ Saracenis obviam  
prodeunti

CLXXXII.

Die 12.

SUB quo depugnat miles clarissima Clara,  
Sola manūque tenet, sola geritque Ducem.  
A'Duce ducta feris opponitur hostibus audax:  
Jam dat præcipites, jam dare terga facit.  
Dux Clarus, miles quoque Clara: revêlat uterque  
Lumina, quæ plusquàm fortia tela valent,



## S. Hippolyto Mart.

CLXXXIII.

Die 13.

**H**ippolytus discerptus equis vetus ille revixit,  
Atque suis retulit membra repôsta locis.

Id precibus (vani memorant si vera poëtæ)

Obtinuit casto casta Diana suis.

Est tibi nomen idem, similis fortuna: citatis

Qui raptatus equis dilaceratus obis.

Huic minus obtinuit sed amans Diana rogatu;

Plus tibi concessit semper amata Fides.

Namque reviviscis cælo: portabis eodè m

Atque suis quondam membra repôsta locis.

Virbius ille fuit, mutato nomine, dictus,

Bis vir, id est; dici sæpe vir ipse potes.

Mortuus est iterum, bis vir licèt, ille; timenda

Mors te sæpe virum nulla secunda manet.



*August.*

## S. Cassiano Martyri.

CLXXXIV.

*Eodem die.*

**Q**uos sapiens, & amās pueros elemēta docebas,  
 Hos tibi tortores, Sancte Magister, habes,  
 Hi, quibus assueti, duce te, percurrere chartas  
 Nuper erant, feriunt te, peramande, stylis.  
 Fis rubris perarata notis, puerisque legenda  
 Charta; legant, relegant, optima quæque legent.

## Assumptioni B. M. V.

CLXXXV.

*Die 15.*

**C**hristum terra polo, terræ polus invidet unam,  
 Quæ Christi Genitrix, Virgo simulque fuit.  
 Tanta polum, terramque inter lis orta, Tonantis  
 Ni foret arbitrium, non dirimenda foret.  
 Prævaluisse polum, dignumque fuisse Mariam  
 Iudicio stabili judicat ipse Deus.  
 Percupidus properat, terræ polus abripit illam;  
 Linqvit at illius dulce patrocinium.



August.

S. Hyacintho, qui ipso Assumptæ  
Virginis festo spiritum Deo  
reddidit.

CLXXXVI.

Die 16.

**F**los, Hyacinthe, vires, sed flos peregrinus in Orbe;  
Mollia cui cæli sola vireta decent.  
Est florum Regina potens Rosa pulchra Maria;  
Cum Regina petit, flos petis ergo polum.

In judicem, qui, S. Agapito patiente,  
é tribunali lapsus est.

CLXXXVII.

Die 18.

**I**Mpie, dic, judex: quænam te fiducia cepit?  
Quò tibi sic potuit totus abire pudor?  
Ausus es injustus justum damnare? tribunal  
Hunc docet in fontem, téque fuisse reum.  
Excutiens etenim fontem, quodammodò signat,  
Quòd judex in fons debeat esse rei.



*August.*

Mellifluo Bernardo á Virginis  
uberibus lac sacrosanctum  
haurienti.

CLXXXVIII.

Die 20.

**D** Eliciaë, quondam quas suxit Christus ab almis  
Virginis uberibus, te recreare solent.  
Nectareis succis aded satiaris, ab ore  
Ut tam mellifluo nil, nisi mella fluant.  
Cum nequeat Christo penitus te æquare Maria,  
Æquiparat saltem, qua ratione potest.

S. Stephano Regi, cujus dextra in  
pauperes liberalissima, cæte-  
ro corpore resoluta, in-  
tegra permansit.

CLXXXIX.

Eodem Die.

**R** egificas divisit opes tua larga miselli  
Non aliásque magis regia dextra ful  
Tanta super terram largitæ munera dextræ  
Non parcens equidem terra scelestæ foret.



August.

S. Timotheo Mart. vivâ calce  
perfufo.

CXC.

Die 22.

**Q**UÆ gelidis ignescit aquis, calx igne tepescet?  
Ignéque, qui tacitus lambere corda solet?  
Non equidem; multò fit calx ardentior: addit  
Igni ignem: multò quo magis ardet amor.

S. Hippolyto Episcopo, & Mart.

CXCI.

Eodem die.

**P**Ræful aquis plenâ foveâ demergitur altâ;  
Impietas mergit, sublevat at pietas.  
Nam quò merfa magis, magis hòc emergit ab undis,  
Nat super & virtus Palladis inftar aquas.  
Acquirit nando vires, alásque volúces:  
Inde volans penetrat fidera clara poli.



S. Sym

*August.*

S. Symphoriano Martyri.

CXCII.

*Eodem die.*

**N**Ate mihi prædulcis amor, pergrata voluptas  
 (Non semel acclamat prolis amore parens)  
 Nate mihi prædulcis amor, terrestria profus  
 Despice, te quæso: suspice regna poli.  
 Suspice regna poli, regnantem ibi, quæso, tuctor;  
 Eripitur minimè, sed tibi vita datur:  
 Et longè melior, quàm, quæ est tibi vita sub astris  
 (Crede mihi) nunquam si morerère, foret.  
 Annuit ille pijs monitis; jam colla cruento  
 Carnifici videas subdere, corda Deo.

S. Philippo Benitio Ordinis Servorum

B.M.V.

CXCIII.

*Die 23.*

**E**ST tantam qui servus Heram fortitus, acerbum  
 Excudit ille, novum, dulce jugumque subit.  
 Nã sortitur Heram, Matrem simul, atque Patronã,  
 Cui servile jugum tale subire datur.  
 Serviat huic Dominae (clamantem audite Philippo  
 Mortales) quisquis vivere liber amat.



S. Bartholomæo Apostolo, cui pellis  
vivo detracta est.

CXCIV.

Die 24.

**P**etræ scissurâ veteres deponit in arctâ  
Exuvias serpens: unde novatus abit.  
Ad Solem verò visum, virésque resumit:  
Viribus, & visu sic magis inde viget.  
In Christo *a* Petrâ sunt quinque foramina, ferrâ  
Cuspide quæ monstrat perterebrata caro.  
Istius at Petræ per sacra foramina transis  
Tu melior serpens: unde novatus abis.  
Exuvias etenim veteres simul exuis, atque  
Ilicèt induvias induis inde novas.  
Ad Christum *b* Solem visum, virésque resumis:  
Viribus, & visu sic magis inde viges.  
Quis cælum nullo poterit sperare labore,  
Bartholomæe, videns pelle stetisse tibi?

*a* Petra autem erat Christus. 1. Corinth. 10. 1.  
*b* Orietur vobis Sol justitiæ. Malach. 4. 2.



August.

S. Ludovico Galliarum Regi.

CXCIV.

Die 25.

**R**ex inopes opibus refovet, manibúsque ministrat  
 Omnia spontè, quibus quilibet æger eget.  
 Tale ministerium functas, non scepra tenentes  
 Regales potuit fastus habere manus.

S. Zephyrino Papæ multa perquàm  
 utilia fancienti, & tandem

Mart.

CXCVI.

Die 26.

**N**ON tã felicem Zephyrum, terrisq; salúbres,  
 Quàm Christi segeti te, Zephyrine, puto.  
 Gratã temperie Zephyrus (liquet) omnia nutrit:  
 Tu gratã & nutris omnia temperie.  
 Leniter est pluvius Zephyrus, qui leniter agros  
 Irrigat: unde venit fertilitatis honos.  
 Flamine tam præstas Zephyrũ, quam roas. Tonãtis  
 Flamen habes: agros sanguinis amne rivas.  
 Hinc lætæ surgunt segetes, bona Cópia regnat,  
 Fœcundus Zephyro tu, Zephyrine, magis.

S. Augustino aliàs Doctorum  
Aquilæ nuncupato.

CXCVII.

Die 28.

**D**istribuit *a* volucrum regina sequentibus ipsam  
Alitibus, raptum quidquid ab ungue gerit.

Pauperibus laturus opem *b* rapiebat ab aris

Augustinus opes: verior hic Aquila.

Est aquilæ pennis virtus quædam insita: pennas

Corrodunt alias, *c* priscus ut auctor ait.

Hæreticas omnes potuit corrodere pennas.

Penna Augustini: verior hic Aquila.

Acrior est aquilæ cum sævo pugna dracone:

Nam petit illius lethifer ova draco.

Pluto Augustini petijt draco dogmata: vicit

Augustinus eum: verior hic Aquila.

Firma acies aquilæ contra stat denique Solem:

Plūs Augustini: verior hic Aquila.

*a* Summa Fr. Joan. de S. Geminiano lib. 4. c. 25.

*b* Ad pauperum inopiam sustentandam sacra vasa  
angebatur. Ex Brev. Rom.

*c* Plinius lib. 10. cap. 3.



August.

## S. Hermeti Mart.

CXCVIII.

Eod. die!

**I**lle quidem Pharius fuerit ter Maximus Hermes,  
 Quod summus Flamen, Réxque, sôphúsque fuit.  
 Flamine, Rege, sôpho potiùs ter Maximus hic est  
 Hermes, qui Christo victima grata cadit.

## Decollationi S. Joannis Baptistæ.

CXCIX.

Die 29.

**F**ilia lascivæ matris lasciva. puella  
 Incipit ad numerum ducere vana choros.  
 Mercedemque pedum Vatis caput inde poposcit  
 Veridici, matri morigerata suæ.  
 Facta simul voti compos cum matre quiescit:  
 Sed non, quæ geminas debita pœna manet.  
 Est caput abscissum Vocis caput; aurea, quamvis  
 Jam silet, a impuris lingua timetur adhuc.

a Os aureum illud oxangue conticescit, Et ihucti  
 metur. S. Ambros. Episcop de Virgini. lib.  
 post initium.



August.

S. Sabinæ Martyri à Seraphiâ Virgine  
Christianæ Fidei præceptis  
institutæ, & in eodem se-  
pulchro cõsepultæ.

CC.

*Eodem die:*

**C**UM fuerit tantam sortita Sabina Magistram,  
Illius haud poterat non documenta sequi.  
Passa Magistra fuit Christi pro nomine mortem;  
Mors hæc Discipulæ non patienda foret?  
Mors rapit una duas, unisque dat una sepulchro;  
Dicito, si possis: utra Magistra fuit?



August.

S. Rosæ Virgini Limanæ, cujus adhuc  
 infantis in rosæ effigiem trans-  
 figuratus vultus huic no-  
 mini occasionem  
 dedit.

CCI.

Die 30.

**E** Deris in lucem, sed flos sine nomine : flores  
 Quisque suum (videas) indere nomen avent.  
 Hoc super inter eos est aspera rixa coorta,  
 Nomine te saltem quis retulisse queat.  
 Advolat, ut lites tollat, Regina ; filetur ;  
 Substitit, & rarum vidit in ore decus.  
 Mox ait: hūc, vestrūm quē quisque referre laborat,  
 Hunc mihi nunc florem nempe referre lubet.  
 Sum Rosa jure meo florum Regina ; puella  
 Sit Rosa : jura simul floribus illa dabit.



August.

Eidem : cui postea Virgo Deipara  
cognomen adjecit, jubens vo-  
cari deinceps Rosam á S.  
Mariâ.

CCII.

EST florum Rosa, sed melior Regina rosarum  
Virgo Dei Genitrix mater amore tua.  
Indidit illa tibi nomen, cognomen at ista;  
Floribus, & pariter jam dominare rosis.

Eidem : quæ á Christo has voces au-  
dire meruit: *Rosa cordis mei tu mihi  
sponsa esto.*

CCIII.

CUM sibi Flos campi sponsam desideret, tñam  
Nescit ei teneram nemo decere Rosam.

*Flos campi. Cantic. 2. 1.*



*August.*

S. Felici Mart. á quo idolorum simu-  
lachra consputa iterùm, ac ter-  
tiò corruerunt.

CCIV.

*Eodem die.*

**M** Olli sternis humi, Felix, idóla salivâ;  
Fecissent equidem non tua verba magis.  
Strata semel tibi non, Felix, idóla resurgunt;  
Stratus humi ferro surgis, ad astra volas.

S. Martyri, qui, cùm ejus nomen igno-  
tum esset Christianis, Aductus  
postea dictus est.

CCV.

*Eodem die.*

**M** Agna latére quidem mysteria credo, cruentum  
Quòd sine martyrium nomine solus adis.  
Nomen erat nullum, tantum quod prodeire posset,  
Poscebant veluti facta futura, virum.  
Hæc ubi Christi adûm pietas videt inclyta,  
Ingeniosa dedit, quod tua facta notet.

August.

S. Raymundo, qui è mortuæ matris  
dissecto latere in lucem educus  
fuit, & ideò dictus Non-  
natus cognomento.

CCVI.

Die 31.

Q Uamvis Nonnatus, natus vocitabere totus  
Virtuti, virtus tota vel ipsa tibi.



## SEPTEMBER.

S. Ægidio Abbati.

CCVII.

Die 1.

E Xnit a Ægidius tunicam induturus egenum;  
Eger egenus erat, sanus egenus abit.  
Invenisset eam tunicam Podalirius, omnem  
Artis opem medicæ quæ superare solet.

a Ex Lippeloo, S Petr. de Natal.

Sept.

SS. Duodecim Fratibus Mar-  
tyribus.

CCVIII.

*Eodem die.*

**O** Mne genus pœnæ Fratrum duodena laceffit  
Turba, simul pœnæ perdomat omne genus.  
De Fabijs antiqua suis jam Rōma filefcat:  
Mundus enim Fratres hos celebrare parat.  
Laus equidem Fabijs poterat fatis ulla videri;  
Fratribus his autem nulla fat esse potest.

Nativitati B. M. V.

CCIX.

*Die 8.*

**T** AM longæ noctis Tellus oppressa tenēbris  
Permetuit finem jam sine Sole suum.  
Ecce coronantem montana cacumina sentit  
Auroram: visâ qua, metus omnis abit.  
Mox ait & Tellus vultus induta serenos:  
Quæ nunc Aurorâ, postmodò Sole fruam.



S. Adriano Christianos persequenti,  
postea verò Martyri, manibus,  
pedibusque præcisus.

CCX.

*Eodem die.*


**H**IC Adrianus erat quondam lupus acer, & acer  
Pastoris Christi prædo petebat oves.  
Admirans autem plus posse leonibus ipsas,  
Non agit ille lupum, mox agit alter ovem.  
Jam manibus truncatur ovis, pedibusque; quid ergo?  
Et reptans virtus semper ad astra meat.

S. Gregorio, & Dorotheo post varia  
tormenta suspendio necatis.

CCXI.

*Die 9.*

**H**OS tormenta duos valuerunt nulla necare  
Præter id, ad Superos quo brevietur iter.  
Vix Superi paulisper humo videre levatos,  
Non (aiunt) iterum vos potietur humus.



## S. Nicolao de Tolentino.

CCXII.

Die 10.

**C** Rescit amor pugnae, pugnae crescete: triumphos  
 Multiplices siquidem multiplicata parit.  
 Infidias, & flagra furens geminaverit Orcus:  
 Tu geminabis ei maxima flagra preces.  
 Semper eris victor: flagris nam flagra retundis,  
 Ludis & infidias quaslibet absque dolis.

SS. Proto, & Hyacintho fratribus, &  
Martyribus.

CCXIII.

Die 11.

**C** UM tormenta quidem maiora sitiret uterque,  
 Auxerunt avidam verbera saeva sitim.  
 Et quae non ullam poterat sitis arte levare,  
 Hanc caput abscissum sanguinis amne levat.



Exaltationi S. Crucis: quam cùm He-  
raclius imperatorio habitu ful-  
gēs ad Calvariam ferret,  
insistere coactus est  
in portâ &c.

CCXIV.

Die 14.

**E**ST aliena Cruci, spinis nisi texta, corona;  
Gemmiferam ponas; vel citò pone Crucem.  
Est aliena Cruci, Regis nisi sanguine tincta,  
Purpura; tu fulgens murice pone Crucem.  
Deponis fastum: Christi vestigia servas;  
En via tota patet; nunc agè tolle Crucem.

S. Nicomedi plumbatis occiso.

CCXV.

Die 15.

**P**Lumbatæ perimunt; gravitas tamen insita plūbo  
Deprimit haudquaquam, te (liquet) imò levat.



Sept.

S. Cornelio Papæ, cui, quòd Marti  
sacrificare noluerit, est caput  
abscissum.

CCXVI. Die 16.

**M** Ars manet infamî nimiùm sublimis in arâ,  
Quòd jaceas hostis tu jugulatus humo.  
Surgis humo tamen ad cæli nimis inclytus Aram;  
Mars Deus armorum, Marsque planeta jacent.

S. Cypriano Mart. Rhetoricæ  
Magistro.

CCXVII. Eodem die.

**M** Unera pro telis quicumque vibraverit, Orbis  
Sic victor citiùs, sic dominator erit.  
Munera nam placant homines, saxa ipsaque flectût,  
Mænia concutiunt, arma filere jubent.  
At, Cyprianus uti, qui munera donat egenis,  
Ille Deum placat, diripit ille polum.  
Si saperent, cælum caperent hac arte Gigantes:  
Nam cælum hac mirâ se finit arte capi.  
Quapropter Cyprianus opes, vitâmq; profundit,  
Ut totum capiat, diripiâtque polum.  
Eximius sed erat Rhetor Cyprianus, & omni  
Rhetoricâ potius credidit esse dare.

S. Euphe-

## S. Euphemixæ Martyri.

CCXVIII.

*Eodem die.*

**O**bjiceris generosa feris; te dentibus una  
 Appetijt: lambit cætera turba pedes.  
 Morsibus inseruit cæli te cætibus illa:  
 Quòdque erat in votis, morsibus illa dedit.  
 Plus igitur debere feræ fatearis oportet,  
 Quæ fuit & lædens obsequiosa magis.

S. Lucixæ, quæ constantiâ suâ  
 multos ad martyrij socie-  
 tatem adduxit.

CCXIX.

*Eodem die.*

**A**llicis ad pœnas pœnis invicta ferendum  
 Pro Christo plures, scemina rara, viros.  
 Quod propriûque viris, exple bona scemina munus:  
 Munere quandoquidem fungeris una ducis.



*Sept.*

Impressioni Sacrorum Stigmatum in  
corpore B. Francisci.

CCXX. *Die 17.*

**O**ptima Francisci Christus, crux optima Christi  
Est Franciscus; adhuc vivit amoris opus.  
Distinctos patet esse duos; tamen efficit unum  
Alternatus eos, qui crucifixit, amor.  
Unde duos unum Crucifixum cernimus, alter  
Cum semel alterius cernitur esse typus.  
Quisquis & aspiciet subito, perplexus, & anceps  
Non poterit subito dicere, Christus uter.

S. Thomæ de Villa nova Epif-  
copo.

CCXXI. *Die 18.*

**I**nduat ut nudos, qui se puer exuit, ille,  
Quid sit facturus virque, senexque, docet.  
Ut canos autem decoraverit infula crines,  
Et lectum, vestes qui dedit antè, dabit.  
Quanta manet merces hominem, quicumque benignè  
Porriget ad miseros, Præsul ut ille, manum!

## S. Januario Episcopo, &amp; Mart.

CCXXII.

Die 19.

**D**eposuit vim flamma, tuum non ausa capillum,  
 Aut filum vestis contemerare tuæ.  
 Objiceris tamen inde feris, socijque; sed illæ  
 Nempe tuos cicures appetiere pedes.  
 Ense fuit vobis caput à cervice revulsum;  
 Noscit a adhuc sanguis sed tuus ecce caput;

*a* *Ejus sanguis in conspectu capitis colliquesieri, &*  
*ebullire ad hæc usque tempora cernitur. Ex*  
 Brev. Rom.



Sept.

S. Eustachio Mart. qui in venatione  
se exercens Christi Domini é  
Cruce pendentis inter  
cervi cornua imagi-  
nem vidit.

CCXXIII.

Die 20.

**P**ropitiam nullus cingens indagine saltus  
Dianam simili visus habere modo est.  
Nam talem nulli cervi inter cornua Prædam  
Illa dedit, qualem nunc dat amica tibi.  
Vana quidem non est, sed vera Diana, sequenti  
Quæ servos tali dat tibi sorte frui.  
Tu captans prædam Prædâ captaris ab ipsâ:  
Te simul, & socios hæc Sacra Præda capit.

S. Matthæo Apostolo ad altare myste-  
rium celebranti, & ibi occiso.

CCXXIV.

Die 21.

**V**ictima complures tantum cecidere; Sacerdos  
Tu tamen, & pariter victima grata cadis.  
Te satis á Christo quisnam dignoscere posset,  
Si, fuit ut Christo, Crux foret ara tibi?


S. Mauri

S. Mauricio Duci Thebææ legionis  
sub Maximiano Imperatore.

CCXXV.

Die 22.

**F**Alleris ; ad mortem legio Thebæa , tyranne,  
Non est, ad vitam sed decimata tibi.  
Nam decimū dum quemque paras demittere morti,  
Te vitam decimo cuique parare scias:  
Et vitam, longè quæ est præstatura priori;  
Attamen hoc nescis : inscius inde facis.  
Sic decimasque Deo solvis, licet inscius, uni,  
Qui decimas unus poscere jure potest.  
Non his contentus decimis tamen ille fidelem  
Poscit item totâ cum legione Ducem.  
Cum Duce tota suo (videas) expugnat Olympum,  
Te nihilque facit, militiamque tuam.



S. Lino Papæ, &amp; Mart.

CCXXVI.

Die 23.

**D**Emitur ense tibi Capiti caput; attamen ipse  
 Nec caput amittens desinis esse Caput.  
 Imò Caput remanes melius nunc: omnia possunt  
 Te quoque nunc meliùs cætera membra sequi.

S. Theclæ Virgini, & Martyri: quæ  
 varijs illæsa tormentis nonage-  
 naria migravit ad Domi-  
 num.

CCXXVII.

Eodem die.

**Q**UÆ priùs immanes valuit cicurare leones;  
 Deridet tauros, monstra nec ulla timet.  
 Audacter petijt flammæ sibi Virgo paratas,  
 Audacem Christi quam faciebat amor.  
 Omnia quæ superat, solùm superatur amore;  
 At superat meliùs, cùm superata cadit.



S. Cypriano primùm mago, postea  
verò unà cum Justina Virgine  
martyrium passo.

CCXXVIII.

Die 26.

**J**ure ministerijs magicis, Cypriane, salutem  
Dicis, ut arte novâ sit tibi certa salus.

**J**ure Cupidineos libros, Venerémque salacem  
Tradere Vulcano pergis, ut ille voret.

**J**ure placet Justina tibi, seu Virgo Diana,  
Artis quæ magicæ tela, dolósque terit.

**J**ure placétque Deus tibi, quem colit illa: placere  
Incipis unde nimis, quem colit illa, Deo.

**M**artyrio junctos qui vos videt: Aurea (clamat)  
Sæcula jam redeunt: nam lupus hæret ovi.

SS. Cosmæ, & Damiano Medicis, &  
Martyribus.

CCXXIX.

Die 27.

**A** Bæis Apollinæ qui sic præcepta tenetis,  
Pluribus & medicam sæpe tulistis opem:  
Dicite: divino quod erit medicamen amori?

Dicite (scitis enim) dicite; scire lubet.

**D**icitis exemplo magis, ac fermone: Salubris,  
Unâque percussis est medicina mori.

Sept.

S. Uvenceslao Bohemiæ Duci, qui  
 suis manibus ad Missæ Sacrifi-  
 cium triticum ferebat, vinum  
 exprimebat : quem frater,  
 matre hortante, in-  
 terfecit,

CCXXX.

Die 28.

**T** Riptoleum cessisse tibi, cessisse Noëmum,  
 Dum seris, atque premis, sancte colone, patet.  
 Quin etiam longè superas, Dux Magne, Noëmum  
 Justitiâ, Martyr qui generosus obis.  
 Te gratum fructum mater mala protulit arbor,  
 Quem frater sævâ messuit ille manu.  
 Dira feras vicit mater feritate, Caimum  
 Nequitiâ frater, dum cadis alter Abel.  
 Mox vivam matrem Tellus absorbet hiatu,  
 Quæ gravis est terram non habitura levem.  
 Paulò post fratrem, fratris comitésque scelestos  
 Corripuit varijs mors miseranda modis.  
 Ad tempus sanguis *a* clamavit Abelis ad Æstra;  
 Clamores *b* hodiè sed tuus edit adhuc.

*a* Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad m.  
 Genes. 4. 10.

*b* Sanguis ejus per parietes templi aspersus a  
 conspicitur. Ex Brev:

Dedicationi S. Michaelis Ar-  
changelii.

CCXXXI.

Die 29.

CUM Constantino Christi Respublica, votis  
Quam damnat Michaël, ponere templa parat:  
At quanti faciat sacras Archangelus ædes,  
Hinc videas, quòd eas pro colit ille polo.

S. Hieronymo Doctori Maximo.

CCXXXII.

Die 30.

QUàm tuba crebra tuis obmurmurat auribus illa,  
Quæ totum faciet contremuisse solum.  
Quàm vindex oculis, & judex creber oberrat  
Sontibus iratus, propitiúsque pijs!  
Multa licèt sapias, hæc te prælectio plura  
Edocet: hinc Docteur Maximus ipse manes.  
Cur non deserti virgulta tenella tremiscant,  
Excelsi Libani cùm cedrus alta tremas?  
Cur non convalles terror perçellat acerbus,  
Tæcelsum montem quæ titubare vident?  
Qua meritis oneratus habes, Vir Magne, a sepulchrũ  
Cunas, quas voluit Christus habere puer!

a Ejus corpus ad Bethlem sepultum est. Ex Brev.

## OCTOBER.

S. Remigio.

CCXXXIII.

Die 1.

**Q**uot tulit, atque feret virtutum lilia, soli  
 Tot debet sanè Gallica terra tibi.  
 Quippe Fidem plantans Gallorum corde, rigasti  
 Doctrinà : meritis nunc quoque (credo) rigas.  
 Cùm a plantare tamen nil profit, nilque rigare,  
 Ob te incrementum nempe dat usquè Deus.

*a Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat; sed  
 qui incrementum dat, Deus. S. Aug. Tract. 80.  
 in Joan.*

SS. Angelis Custodibus.

CCXXXIV.

Die 2.

**A**Ligeri juvenes, quibus est custodia nostri  
 Credita, nos nunquam deseruisse solent.  
 Tantus amor nostri nostros invadit Achates,  
 Ut deducat eos solus ad usque solum.  
 Nobiscum licèt hïc optent habitare, præoptant  
 Sidereas secum nos habitare domos.

S. Fran.

S. Francisco mercaturam  
facienti.

CCXXXV.

Die 3.

**A**ccumulent ut opes opibus, dare vela videmus  
 Innumeros, rabie nec trepidare maris.  
 Accumulas at opes opibus, pede nautæque sicco  
 Auroræ littus tu melioris adis.  
 Hinc &, Erythræas possint quæ vincere, gemmas  
 Adsportas: tandem dis nimis inde redis.  
 Si quis at exquirat, quam tu Mercator adisti,  
 India quæ fuerit, dicere non dubitem.  
 In miseros vehemens pietas fuit India dives:  
 Dum tua das gratis, maxima lucra refers.  
 Inde solésque tuos gemmis ditare Minores;  
 Quæ superest autem gemma suprema? polus,



S. Placido Martyri unâ cum fratribus,  
& eorum socijs.

CCXXXVI.

Die 5.

**E**T soror, & fratres studio venere videndi  
Absentem fratrem; magnus adegit amor.  
Magnus adegit amor fratris, sed maior atrocis,  
Pro Christo cuperent quam tolerare, necis.  
Martyrij (credas) præfago corde futuri,  
Visere quàm fratrem, plus cupière pati.  
Fratris adhæserunt lateri cum pluribus, idem  
Martyrij vehemens quos adigebat amor.  
Et soror, & fratres fratris vestigia carpunt:  
Fratres non dubitat cætera turba sequi.  
Nex illata fuit nimium crudelis utrisque:  
Est & utrisque poli gloria sola fatis.



S. Bru.

S. Brunoni Carthusianæ familiæ fundatori : qui æternis pœnis addictum é capulo loquentem audiit. *Ex Surio.*

CCXXXVII.

Die 6.

**M**ulta licèt sapias, doceas & multa Magister,  
Mortuus ille sapit plura, simúlque docet.  
Prælegit é feretro doct̃or celeberrimus antè,  
Eximios penitùs quæ latuere sophos.  
Quam Logicam petis inde novã, penitùsque tacētē,  
Non a sibi ferali mortis ab Ergo timet.

*a Ad Logicam pergo, quæ mortis non timet Ergo.  
Idem S. Bruno.*

S. Marco Papæ Basilicas duas  
exædificanti

CCXXXVIII.

Die 7.

**C**UM duo templa Deo ponas amplissima, tē plum  
Cor mundum multò gratus ipse dicas.

SS. Mar-

SS. Martyribus Sergio, Baccho,  
Marcello, & Apuleio.

CCXXXIX.

*Eodem die.*

**M** Illia præripitis palmarum quatuor; imò  
Quatuor & palmas judico mille parum.

S. Birgittæ, quæ cùm adhuc gestare-  
tur in utero, matrem naufragio  
liberavit.

CCXL.

*Die 8.*

**T** U matrem non nata potes servare : quid autem  
Postea non poteris nata, dicata Deo?  
En <sup>a</sup> tot jam meritis incedis onusta decennis,  
Ut vix te valeat sustinuisse solum.  
Christus adest, hoc auget onus, virèique ministrat,  
Pondere ne tanto tam citò terra labet.  
Denique tam fidam, quàm Rex expertus amantem  
Abdita non dubitat credere, séque tibi.

<sup>a</sup> *Decennis Christum secum loquentem habuit,  
arcana multa divinitus comperit. Ex Brev.*

S. Dionysio abscissum suum caput in  
manibus gestanti, & ad duo mil-  
lia passuum progredienti.

CCXLI.

Die 9.

**Q**UOD *a* tenuit divina caput sapientia sedem,  
Et tenet abscissum; perspice, pende, nota.  
Cælitus illud erat sapiens caput antè: revulsum.  
Exstat adhuc sapiens, cætera membra regit.  
Sentit adhucque sibi diram tantummodò pœnam  
Pro Christo plures non subijisse neces.

*a* Lux, & dux Theologorum passim à Carthusiano  
appellatur.

SS. Rustico, & Eleutherio  
Martyribus.

CCXLII.

Eodem die.

**F**erre neces plures ingens vis poscit amoris;  
Attamen ad palmam nex fuit una satis.



S. Eduardo Angliæ Regi, in conju-  
gio Virgini, & egenorum patri.

*Ex Surio.*

CCXLIII.

Die 13.

**R** Ex, conjux, virgo possis ne prole carere,  
Turba tibi tales supplet egenâ vices.  
Corpus labe animum nullâ scedavit; Olympus  
Hunc habet, atque illud jam sibi jure petit.

S. Callisto Pap. & Mart.

CCXLIV.

Die 14.

**T** E tua facta probât, nec non data plena potestas;  
Martyr at obsignas sanguine cuncta tuo.



S. Terefiæ Virgini, cuius præcordia  
ignito jaculo transverberavit  
Angelus.

CCXLV.

Die 15.

**V**erus ab æthereâ demittitur arce Cupido,  
Atque petens animas ignea tela gerit.  
In primis que tuam velox petit ille : sagittam  
Dirigit, emittit, te ferit, icæta cadis.  
Icæta cadis : dulci servis captiva tyranno,  
Pro quo dulce pati, dulce putâsque mori.  
Ardentem sedare sitim jam sanguine tentas;  
Sanguinis est autem pœna negata tibi.  
Illa foret dulcis : te dulcior altera poscit:  
Tortor amôrque tibi nempe futurus erit.  
Ille quidem laqueos adedò constringet amanter,  
Ipsius ut manibus sit tibi vitâ mori.



S. Heduvigi Ducissæ.

CCXLVI.

Die 17.

**A** Foribus nunquam pauperrima turba recedit?  
 Hanc colit augustam Magna Ducissa domum.  
 Atria conculcant dilectæ matris egeni:  
 Hic noctesque trahunt, hinc vigilésque dies.  
 Mater egenorum, quàm Regum audire præoptat:  
 Unde fit, ut regnet Magna Ducissa polo.

S. Lucæ Evangelistæ, qui primus fe-  
 lici manu Mariam Virginem  
 depinxisse dicitur.

CCXLVII.

Die 18.

**D** Escribit calamus Christi vitamque, necémque  
 Depingit Mariam peniculúsque tuus.  
 Cordibus impressum mortalibus hæreat illud,  
 Quod liber ille tuus, quódque tabella tenet.



S. Petro de Alcantara : de quo á Deo  
S. Theresiæ fuit revelatum, quòd  
Petri nomine nil quisquam  
peteret, quin protinus  
exaudiretur.

CCXLVIII.

Die 19,

**N**omine si qua meo fuerint á Patre petita,  
Nempe dabit vobis omnia, Christus ait.

Quanta suo dixit tanto de nomine, tanta

Nomine de tanto prædicat ille tuo.

Cernimus æquatum porrò cum nomine nomen.

Quem te tot meritis credere terra potest?

Christus es haud alter; nisi te tamen ille præisset,

Christus nonnulli fortè putandus eras.

*a* Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit  
vobis. Joan. 16. 23.



S. Hilario Abbati.

CCXLIX.

Die 21.

**P**erpetuum, illo tūmque geris, Vir Maxime, saccu:  
 Delicias extrā, munditiāsque fugis.  
 Intus amas, intūsque tenes : mens pura supremis  
 Delicijs fruitur, munditijsque nitet.  
 Est tua tāmque potens virtus, ut terreat Orcum:  
 Quem cū non timeas, nil timuisse decet.  
 Proximus at morti mortis formidine quassus,  
 Quòd sit plūs Orco mors metuenda, doces.

S. Ursulæ, & alijs Virginibus, &  
 Martyribus.

CCL.

Eo dem die.

**A** Spice Virgineam a ventis dare carbasa classen:  
 Ursula dux, similis cætera turba duci.  
 Impia naufragium gens est minitata pudori  
 Fluctibus in medijs, Virginibúsve necem.  
 At pudor ut mergi nequeat, merguntur in alto  
 Corpora, quæ stridens multa sagitta ferit.  
 Casta Cupidineum vitent ut pectora telum,  
 Excipiunt veluti barbara tela scopus.

*a Ex Diva Ursula vitâ apud Lippeloum.*

SS. Conjugibus Chryfanto, & Dariæ  
Martyribus.

CCLI.

Die 25.

**T**Raxeront unam vitam, mortemque tulerunt:  
Vita Deo veluti, mors ita grata fuit.  
Conjugio junxere animos, *a* sed corpora nunquam,  
Ni postquam *b* texit multus utrumque lapis,  
Quam fortunatus vir, fortunataque conjux,  
Pro thalamo primo queis datus est tumulus!

*a* Ex Metaphr.

*b* Effossâ terrâ, lapidibus sunt obruti. Ex Brev.  
Rom.

S. Evaristo Pap. & Mart.

CCLII.

Die 26.

**U**T nunquam Pastoris oves vestigia perdant,  
Sanguine, quam teneant, tingis ad astra viam,



SS. Simoni, &amp; Judæ Apostolis.

CCLIII.

Die 28.

O Rbis adest lumen Christi venerabile nomen;  
 Hoc a sed habet vestro lumine lumen opus.  
 Indiget alterius lucis Lux ipsa minoris?  
 Scire, queat fieri quomodò tale, lubet.  
 Quos radios abscondit, eos infundit utrique:  
 Ergo opus, ut radios inde resumat, habet.

*Doctrinâ, miraculis, ac denique glorioso martyrio  
 sanctissimum Christi nomen illustrârunt. Ex Eo-  
 dem Brev.*



NOVEMBER.

Solemnitati Omnium  
Sanctorum.

CCLIV.

Die 1.

I N simul ut Sanctos videas, imiteris & omne  
 Adspicé: sit, veluti picta tabella, dies.  
 Sint licet innumeri, numerum tu augere labora.  
 Si non es Sanctus, desipis, heu! sapito.

Com.

Commemorationi Omnium Fide-  
lium Defunctorum.

CCLV.

Die 2.

**L**iber aves animas purgantibus ignibus ire?  
Quolibet illorum tempore vive memor.  
Atque fer auxilium turbæ, & quæ clamat ab illis,  
Suspirâtque tuam semper, & orat opem.

• *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici  
ei mei &c. Job 19.21.*

S. Carolo Borromæo Episcopo, in-  
dictâ supplicatione publicâ,  
Crucē bajulanti, & semet  
ipsum pro peccatis  
populi hostiâ  
offerenti.

CCLVI.

Die 4.

**T**RO gravibus populi culpis te spontè litabas,  
Et sub nodosâ visus es ire Cruce.  
Ignorans Christum si quis te fortè videret,  
Christus hic est, ausus dicere nempe foret.

Novemb.

SS. Vitali servo, & Agricolaë ejus  
domino Martyribus.

CCLVII.

Eodem die.

**C**ontēplor servum, dominum contēplor; utrius  
Sit virtus maior, nescio; præstat uter?  
Liber, amans dominus Christum profitetur: eum dicit  
Et liber servus, quem profitetur, amat.  
Fortis adit dominus Christi pro nomine pœnas:  
Servus ad has domino munijt antè viam.  
Cernimus ergo duos servos, dominosque potentes;  
Namque potens dominus servus uterque Dei.

SS. Quatuor Coronatis  
Martyribus.

CCLVIII.

Die 8.

**Q**uatuor his poterunt quænam satis esse coronæ  
Unam præter erit nulla corona satis.  
Hos tantùm præclara satis sua facta coronant;  
Hæc igitur, vel eis nulla corona sat est.



## S. Theodoro militi, &amp; Martyri.

CCLIX.

Die 9.

**Q**UÆ tibi corda rapit vis ignea, compulit ignes  
 Te validâ rapidos arripuisse manu.  
 Turpia cum fanis audax idóla cremâsti:  
 Omniâque in cineres sic abiére leves.  
 Propterea rapidum vivus damnaris ad ignem:  
 Intimus, & maior quem superare valet.

SS. Tryphoni, & Respicio tribuno  
 Martyribus.

CCLX.

Die 10.

**T**E videt invictum pœnas tolerare tribunus:  
 Atque simul causam, cur patiare, videt.  
 Causa placet, placet atque pati: patientis adhæret  
 Jam lateri: metuunt pœnæ utriusque latus.  
 Tam benè Respicius se non respexerat unquam:  
 Nunc videt & primùm, qui modò cæcus erat.



Novemb.

S. Nymphæ Virg. &amp; Mart.

CCLXI.

Eodem die.

**S** Pōfā Nympha sonat; proprio tu nomine Nīpha  
Sponfa quidem Christi nomine, réque manes.

S. Martino adhuc militi.

CCLXII.

Die II.

**Q**UI totum vestit cælum radiantibus astris,  
Et varijs viridem floribus ornat agrum;  
Parte tuæ chlamydis gaudens incedit amictus;  
Vestisti sanè belliger ergo Deum.  
O' res mira! Deo vestem dedit illa decóram;  
Est data quæ nudo, dimidiata chlamys.



S. Mennæ militi Christiano,  
& Mart.

CCLXIII.

Eodem die.

**M**iles erat Mennas: multisque é millibus unus;  
Christi militiam qui sequeretur, erat.  
Rebus in hac autem gestis celeberrimus idem  
Sanguine promeruit nomen habere Ducis.

S. Martino Pap. & Mart. quem cum  
lictor Missarum solemnia cele-  
brantem conaretur occi-  
dere, repente cæcus  
factus est.

CCLXIV.

Die 12.

**Q**uam tua diffundit lucem clarissima virtus,  
Plus nimio magnam, dum facis, Ara facit.  
Lumine præ tanto (quid mirum?) cæcus abivit  
Licitor; at aggreddens hic mage cæcus erat.



Novemb.

S. Didaco pecunias in viâ dispersas  
offendenti.

CCLXV.

Die 13.

SUB pedibus quantos regina pecunia subdit!  
Despicias hanc autem, sub pedibusque tenes:  
Ut nec eam manuum digneris honore jacentem;  
Quæ tot habet servos, serva fit illa tibi.  
Inde petis cælum pauper tam dives Olympum,  
Ut Superos ipsos obstupuisse putem.

S. Gregorio Thaumaturgo.

CCLXVI.

Die 17.

IN a latus impelli videor mihi cernere montem;  
Quis tamen impulerit, nescio; scire velim.  
Impulit hunc celsum montem mons celsior alter;  
Sed mons Gregorius celsior ille fuit.  
Mons virtutis erat, montes superabat & omnes;  
Cur non maiori cederet ergo minor?

Montem, qui Ecclesia adificationem impediebat,  
precibus aliò transtulit. Ex Brev.



S. Elisa.


## S. Elifabethæ Reginae Hungariæ.

CCLXVII.

Die 19.

**I**ndutum servi formâ Regina Tonantem  
 Contemplata suis fastibus erubuit.  
 Talia mox tacito secum fuit ore locuta:  
 Non mihi jam titulus regius ille placet.  
**I**diadema procul, fastus procul ite superbi;  
 Vile ministerium, servitiûmque peto.  
**N**e Regina vocer potiori jure vocanda  
 Serva; mihi cordi solus hic est titulus.  
 Quæ regum Regem video servilia passum,  
 Nil, nisi vile, peto, nil, nisi vile, volo.  
 Infima servarum fiam placitura Tonanti:  
 Tunc me Reginam dicere quisque potest.

*Ad infima quaque ministeria erga pauperes, &  
 & agrotos se abjecit. Ex Brev.*



Novemb.

S. Pontiano Papæ, & Martyri in exilio calamitatibus confecto.

CCLXVIII.

Eodem die.

SI patriam vir fortis habet, licet exul, ubique  
Exilium Sancto patria grata quoque est.  
Patria sed superest Sancto tamen altera cælum:  
Hanc nimio partam, Sancte, labore colis.

S. Felici de Valòis. die 20. Vide: Jo-  
anni de Matha. die 8. Februar.

Præsentationi B. M. V.

CCLXIX.

Die 21.

PASSIBUS ad templum quæ nunc festinat anhelis?  
Quæve petens aram Diva Puella volat?  
Jam propè subsistit (proh quanto plena decore!)  
Et genibus primos jam premit illa gradus.  
Quid petit à templo, quid, dum procumbit, ab arâ?  
Quæ sit, si nôstis, dicite, quidve petat.  
Ipsiùs mox Ara Dei, Templumque futura  
Ingreditur templum tota dicanda Deo.  
Ara potest Aræ, templum jam cedere Templo:  
Nam, a quem mox capiet, nec polus ipse capit.  
a Quem cali capere non poterant, tuo gremio contu-  
listi. Ex Brev. Rom.

S. Gæci

## S. Cæcilix Virg. &amp; Mart.

CCLXX.

Die 22.

**D**isparibus compacta tubis audite canora  
 Organa, quæ resonât dulce, novûmque melos.  
 Organa Cæcilix digitis pulsantur eburnis;  
 Nil, nisi virgineum, Virginis ore sonat.  
 Cor a mundum crebrò suavi modulamine posciti  
 Hinc fuit, ut fieret victima munda Deo.

*a Cantantibus organis, Domino decantabat dicens:  
 Fiat cor meum immaculatum &c. Ex Brev.*

S. Clementi Pap. & Mart. alligatâ ad  
 ejus collum anchorâ, in pro-  
 fundum dejecto.

CCLXXI.

Die 23.

**A**nchora non potuit vasto te mergere ponto;  
 Quæ mensura fuit, te super astra levat.  
 Anchora fixa polo subitò fit stella corusca:  
 Túque Dei faciem, Sol velut, ante micat.

*a Justi fulgebunt, sicut Sol. Matth. 13 43.*

S. Chry.

Novemb.

## S. Chryfogono securi percuffo.

CCLXXII.

Die 24.

**A**rboreus truncetur apex : plus inde vigoris  
 Arbor habet : ferrum nam vegetare solet.  
 Est caput abscissum ferro; tamen inde vigescis  
 Plus solito: ferrum te vegetavit idem.

## S. Catharinæ Virg. &amp; Mart.

CCLXXIII.

Die 25.

**P**ermetuit vetus illa novam quàm Pallada Pallas!  
 Quàmque novæ victas victa dat illa manus!  
 Cùm velit illa vetus Pallas, velut antè, vocari  
 Doctâ; novæ ludum Palladis ipsa colat.  
 Id faciétque lubens, si exemplum sumat ab illis,  
 Quos *a* nova convicit, perdocuitque sophos.  
 Non minùs ingenio, quàm robore Virgo virili  
 Prævalet hæc, pœnæ quam timet omne genus.  
 Vera loquor: nôrunt Superi: queis corpus humanû  
 Creditur; ast animum suscipit ipse Deus.

*a* Decem, & octo annos nata sapientissimum quæ  
 que superabat: tandem fuit ab Angelis tumula  
 Ex Brev.

S. Petro Alexandrino Episcopo,  
& Mart.

CCLXXIV.

Die 26.

**H**æreticis odio quanto fuit infula Petri!  
Hinc delere parant, quo sedet illa, locum.  
Dum caput abscindunt, penitùs falluntur, & errant;  
Infula nec perdit, nec diadema locum.

S. Saturnino Martyri.

CCLXXV.

Die 29.

**I**ntulit in cælum Christus rubra signa cruentus:  
Sanguine quò proprio tu rubicundus abis.



Novemb.

## S. Andreæ Apostolo.

CCLXXVI.

Die. 30.

**E**'Crucis oravit cathedrâ, docuitque Magister:  
 Ex hac Andréas orat, & ore docet.  
 E'Crucis per paucas horas (liquet) ille pependit;  
 Vivus hic at geminos pendet ad usque dies.  
 Meta polus Christo; metam sed Apostolus unam  
 Pro Christo patiens duxerat esse Crucem.



## DECEMBER.

## S. Bibianæ Virgini.

CCLXXVII.

Die 2.

**P**lumbatæ citius flectent, & flagra columnam,  
 Quàm te: cui video cedere marmor idem.  
 Prævalido tamen ic̄ta Dei procumbis amore;  
 Illius ó utinam fit mini talis amor!

*Ad columnam alligata plumbatis casa. Ex B*

S. Fran.

S. Francisco Xaverio Indiarum  
Apostolo.

CCLXXVIII.

Die 3.

**P**hœberia ad Occiduas Eois tendit ab oris;  
Te atrad Eois alter ab Occiduis.  
Te sua lustrantem sentit cunabula Phcebus:  
Attonito similis, Sol, ait, alter adest.  
Quid faciam? penitus nunc jam mea lumina cōdam;  
Luceat hic : illi lumina subdo mea.

S. Barbaræ Virg. á parente suo  
jugulatæ.

CCLXXIX.

Die 4.

**N**omine, non vitâ poteris tu Barbara dici;  
Est tuus omninò barbarus ille pater.  
Barbarus omninò? sic & laudabilis esset;  
Horribiles superat sed feritate feras.  
Nam quænam tigris, teneros quænamve leonæ  
Interimit catulos, insequiturve suos?  
Barbarus est plusquàm, natam qui sævit in agnam,  
Qui simul & patrio cedit amore feris,



Decemb.

S. Sabbæ Abbati.

CCLXXX.

Die 5.

**D**ivinus divina facis stipendia miles:  
 Hinc divina tibi præmia sola decent.  
 Adversus Christi juratum belliger hæpen  
 Accipis à Christi præmia digna manu.  
 Pugnanti properat donare cibaria, nummos:  
 Sic virtus alitur, sidera sicque petit.

• *cum in dæmonem depugnasset, ab ipso Christo nunc cibarijs, nunc pecunijs donatus est. Ex Metaphr.*

S. Nicolao Episcopo.

CCLXXXI.

Die 6.

**P**auperibus laturus opem, castisque puellis,  
 Noctibus haud dubitas pervigilare tribus.  
 Est inopes erga tua munificentia talis,  
 Ut non muneribus sit satis ipsa dies.



S. Ambrosio, quem infans Episcopum proclamavit.

CCLXXXII.

Die 7.

**N**escit adhuc infans aliquas exprimere voces;  
 Attamen eximius præco scit esse tuus.  
 Proclamat dignum te, Vir memorande, tiarâ:  
 Sic & virtutes prædicat ille tuas.  
 Laus & perfecta magis nullo prodiret ab ore:  
 Innocuus cumulat laudibus innocuum.

*Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem.*  
 Psalm. 8. 3.

Conceptioni B. M. V.

CCLXXXIII.

Die 8.

**Q**uisquis avet minimâ speculum sine sorde tueri,  
 Conceptam Mariam si meditetur, habet.  
 Gratia præveniens animum præmunit, & armat;  
 Præsentit, propiùs culpa venire timet.  
 Quidnam Conceptâ dicemus Virgine dignum?  
 Quod Natura Deo, Gratia dat Mariæ.



Decemb.

S. Melchiadi Pap. &amp; Mart.

CCLXXXIV.

Die 10.

**S**anguine pandis iter, per quod tendamus ad astra.  
Es Caput: utque Caput, quam benè mēbra regis!

S. Damaso Pap. Poëtæ elegantissimo.

CCLXXXV.

Die 11.

**E**nnius appellat sanctos si jure poëtas,  
Damase, te Sanctum quam potiore vocem!  
Delubrum si Smyrna suo construxit Homero,  
Res tibi Christiadum publica ponit idem.  
Aiebant veteres, quod, si sua numina voces  
Exprimerent, illas versibus exprimerent.  
Maxima divino modularis, a Damase, metro;  
Non tu, nempe tuo fatur ab ore Deus.

*a* Cum nomen (Damascus) apud veteres non legatur,  
primam produxi; licet aliquis ex recentioribus  
eamdem corripiat.



S. Luciae.

## S. Lucix.

CCLXXVI.

Die 13.

**C**uncta tibi cedunt lucentia, Lucia; luces  
 Plus auro, gemmis: plus adamante nites.  
 Plus astris etiam Virgo, Martyrque coruscas;  
 Clarius haud cælum, Lucia, sidus habet.

## S. Eusebio Episcopo, &amp; Mart.

CCLXXVII.

Die 15.

**D**erat adhuc Mitræ pulcherrima gēma decóræ;  
 Gemma cruoris adest, nilque decóris abest.  
 Mox mox cælesti mutatur Mitra Coronâ;  
 Præful & in terrâ regnat in arce poli.



Decemb.

S. Thomæ Apostolo in latus Domini  
manum mittenti.

CCLXXXVIII.


Die 21.

Quando Fidem palpas incredulus, inque fidelis,  
Inde fidelis abis, credulus inde magis.  
Quòd si fortè fores mox credulus, atque fidelis,  
Tunc deberemus porrò minora tibi.  
Namque Fidem firmas dubitans: testaris eandem  
Sanguine, sit cuiquam ne dubitanda Fides.

*Reliquos dies hujus mensis ha-  
bes in principio libelli.*



SANC.



SANCTIS, QUI VEL NATIONE  
 fuerunt Lusitani, vel in Lusitaniâ floru-  
 erunt, aut sunt sepulti, juxta Indicem  
 Chronologiæ Monasticæ Lusitanæ  
 Fr. Antonij á Purificatione.

## CANONIZATIS.

SS. Marrochij Martyribus Ordinis  
 Minorum : quorum corpora  
 cōdita sunt Conimbricæ.

*Epigram. I.*

*Die 16. Januar.*

**N**Obilitant Latium cunis, Libyâmq; cruore,  
 Ossibus at Lyfiam, mentibus astra poli.  
 Hæc astris inserta videt Sol quinque Minora,  
 His minus & fassus se quoque sidus ait:  
 Astra Minora solum nobis cùm talia mittat,  
 Astra manemus eis inferiora poli.

## S. Brigidæ Virgini Ulyssiponensi.

II.

Die 1. Februar.

**V**irginitate vires; revirescent arida prorsus,  
Tanges Virgineâ qualiacumque manu.

Testis adest arens lignum; *a* vix tangis, eodem  
Virgineo tactu cum revire scit idem.

Cernitur in ligno viridi languescere flamma;  
Virginitas viridis sed flagrat igne Dei.

Quæ caput est Lysæ, potius caput Orbis habenda  
Patria magna, tuum *b* quæ tenet usquè caput

*a* Cum altaris aridum lignum tetigisset, statim factum est viride.

*b* Sacrum ejus caput servatur Ulyssipone.

S. Stephano Abbati cœnobij Raten-  
fis in territorio Bracharensi.

III.

Die 13. Febr.

**D**epimit *a* elatos, extollit corde modestos  
Omnipotens; quantum te manet ergo decus!

Corde modestus enim nimis es, venerabilis Abba,

Inter & Angelicos constituende choros,

Hi celebrant obitum felicem: mortuus inter  
Angelicos cœtus Angelus alter abis.

*a* Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.

Luc. 1. 46.

S. Romano Abbati natione Gallo,  
 qui in agro Orichiensi Eborésis  
 Dioecesis floruit, & obiit.

IV.

Die 28. Febr.

TE celebrem toto mundo miracula reddunt;  
 Attamen haud maius te (puto) mundus habet.  
 Gallia multa tulit vernantia lilia; sed te  
 Cùm tulerit, melius Gallia ferre nequit.

S. Rosendo, sive Rodesindo Episco-  
 po Duniensi nato in Portuca-  
 lensi Dioecesi.

V.

Die 1. Martij

VIR magnus privatus eras: sis Præsul: honore  
 Maior es: hunc ponis: maximus inde manes.  
 Hinc Benedictinum sumens, Rodesinde, Cucullum,  
 Quæ sine sunt numero, maxima signa patras.  
 Cùm tot non caperet Tellus miracula, cælum  
 Te capit, & pariter sic tua signa capit.

S. Martino natione Germano primò  
Duniensi, deinde Bracharensi  
Episcopo.

VI.

20. Mart.

**A**D Lysiam nobis tua te Germania misit;  
Quid nobis melius mitteret illa? nihil.  
Te decorat duplici gratissima Lysia Mitrà,  
Cùm Mitram potius tu decorare queas.  
Posteà quod nobis patuit: nam sidera scandis,  
Et jam stellatam reddis utramque Mitram.

S. Fructuoso Episcopo.

VII.

**F**Loribus Aprilis, pomis Autumnus abundat;  
Æstas & spicis; omnia tempus habent.  
Ad Superos sed enim cùm talem misit \* Aprilis  
Florem, plùs nunquam floridus ille fuit.  
Cum pomis Autumnus eat, cum messibus Æstas  
Jam procùl; Aprili Flos dat hic omne decus.

\* Die 20. Aprilis ejus transitus celebratur.

SS. Martyribus Eliæ, Isidoro, & Paulo Lusitanis.

VIII.

17. April.

**T** Res jugulat socios, gladius sub Rege tyranno,  
 Affixi palo trësque fuere simul.  
 Hic data sunt volucrùm lanianda cadavera rostris:  
 Ausa sed ex illis tangere nulla fuit.  
 Nempe videntur aves Regem damnare ferocem;  
 En • tumulum præbent, & venerantur aquæ.

*• In flumen sunt demersi.*

S. Paschasio Ecclesiæ Romanæ  
 Diacono, & Confessori.

IX.

Die 31. Maij.

**N** Asceris in Lysiâ, Phœbus velut alter in ortu:  
 Te tenet hæc, dum te, lumina totque capit.  
 Postea, cum Phœbo tanto sit sphærule, sphæram,  
 Quam lustres, aliam quærere sponte finit.  
 Per varias transis fundens tua lumina terras,  
 Dum venias Romam, quam caput Orbis habet.  
 Latiùs hinc meritò radios diffundis in Orbem:  
 Hic sanctum occasum, Maxime Phœbe, subis.

SS. Octo

SS. Octo Septæ Martyribus, quæ  
postea fuit Lusitanorum civitas,  
nunc autem Hispanorum.

*In appendice Junij.*

X.

L Usiadæ gnari, vestro quodd Septa cruore  
Dis foret, invadunt, & potiuntur eam.  
Vos colere incipiunt; at quanti fecerit urbem  
Vos propter Princeps inclytus, inde patet.  
Mauruseum voluit vinctum sibi reddere Septam;  
Attamen in vinculis maluit ille mori.  
Lysia, dum meruit Septæ dominarier, Orbem  
Totum præ Septâ credidit esse nihil.

SS. Martyribus Victori Archipræsuli  
Bracharenfi, Alexandro, & Maria-  
no civibus itidē Bracharēsisibus.

XI.

*Die 17. Octobrio*

Q Uam Præsul decorat, patriam de coratis uterq;  
Vose quidem claris ortibus, ille Mitrà  
Præsule cum tanto longinquam sanguine terra  
Ditatis, a patriam pignoribusque solum.  
Redditis Augustam patriam plus, quam fuit antè;  
Dis minus est gemmis India nempe suis.  
*a Eorum nonnulla reliquia adsportata sunt Bracharam, quæ dicitur Augusta.*

BEATI-

BEATIFICATIS  
juxta eandem Chro-  
nologiam.

---

S. Condifalo Amaranthio.

XII.

Die 10. Januar.

**B**Rumali nunquam glacie marcescit, honores  
Floris perpetuos ast *•* Amaranthus habet.

Tu novus æternùm flores Amaranthus: iniqua  
Mortis hyems valuit nec violare comam.

Immortalis enim flores virtute: nec, alter  
Flos velut, elangues; semper at ipse vires.

Quæ priùs é tantis referam miracula? nullum  
Si facias, equidem maius id esse putem.

*• Amaranthus ab immortalitate nomen habet. Vi-  
de Calep.*



S. Theo-

S. Theotónio Lusitano, qui primus  
Cœnobij Conimbricensis sub  
nuncupatione S. Crucis  
Præsul fuit.

XIII.

Die 18. Februar.

**M**Unere non tantum, quantum virtute præesse  
(Signa probant) mundus te spatiosus ait.  
Condecorat munus reliquos, tu munus at ipsum:  
Te non terra capit; quid? capit ergo polus.

S. Joanni á Deo ex oppido Monte  
maiori Diœcesis Eborensis  
Ordinis servientium in-  
firmis fundatori.

XIV.

8. Martij.

**S**ervit hic infirmis? cæli regnabit in arce:  
Reges namque facit tale ministerium.  
Quòd sit regnaturus, habes præfagia signa,  
Qualia Joannes creber ubique facit.  
Quid mirum, quòd tanta patret miracula, nomen  
Cujus adornat, uti mira corona, Deus?

S. Matronæ Virgini, & Martyri  
Lusitanæ ex Suevorum  
Regum genere.

XV.

15. Mart.

**B**rachara quam genuit regali sanguine cretam,  
Angelus Ad Capuam te properare monet.  
Hic cum bis senis alijs, quas ducis eodem,  
Virginibus vitam transfigis Angelicam.  
Denique martyrium pariter toleratis utræque;  
Tu, Matrona, tamen dux generosa præis.  
Brachara proh quantum tantas celebrabit alumnas,  
Quas etiam properat concelebrare polus!

S. Sennorinæ Virgini Lusitanæ  
ex Ordine Monialium  
S. Benedicti.

XVI.

22. April.

**Q**uam prudenter agas Benedicti mira tenendo  
Dogmata, Virgo, satis signa stupenda docent.  
Haulisti hoc a fonte quidem tam mira fluenta,  
Ut non mirer ego, mira quod inde patres.  
Sunt equidem, quæcumque facis, per mira, sed istis  
Mira magis cunctis, & memoranda manes.

S. Tolobæo Lusitano Archipræsuli  
Bracharensi.

XVII.

2. Jul.

URbs patrio vicina solo te Brachara tanto  
(Qui tibi parvushonor) Præsule digna fuit.  
Maiorhonore licet, desistis honore modestus;  
Hoc tibi sed maior quæritur alter honor.  
Quatuor en tecum socios abducis, Iberas  
Qui tecum properant condecorare plagas.  
Hinc sublime datur conscendere culmen honoris:  
Astra super vobis omnis habetur honor.

S. Benedicto Lusitano.

XVIII.

11. Jul.

TAM benè cùm facias cunctis, Benedicte, malorū  
Quem, nisi te, poscat quilibet æger opem?  
Instar apūm densè circum thyma grata volantūm  
Circuit a Ædiculam languida turba tuam.  
Læta salute nimis solet inde redire receptā,  
Inde tibi que magis grata redire solet.  
Hæc abit, illa venit, succedit turbæque turbæ:  
Qualibet ægra venit, sana sed omnis abit.

*a Ad ejus ædiculam prope Limam varijs morbis  
grati devotè conveniunt.*

S. Gual-

S. Gualtéro socio, ac discipulo  
S. Francisci, quocum in  
Lusitaniam venit.

XIX.

2. Aug.

**E**' Latio ad Lyfiam tua te nimis inclyta ducit  
Relligio, cultus crescat ut inde Dei.  
Cùmque tuo pariter magno, Gualtère, Magistro  
Extruis hïc sacras, magnificásque domos.  
Pòst tamen ex Lyfiã, cùm tempus, résque poposcit,  
Hic redit, in Latium, nos apud ipse manes.  
Devinctos autem quàm nos Franciscus habebit,  
Nos tantum nobis passus habere virum!  
Id probat, é tumulo qui manat odórifer, atque  
Omnibus est ægris qui panacéa, liquor.

S. Amadæo Lusitano, qui apud Italos  
sanctitate celebris obdormi-  
vit in Domino.

XX.

10. Aug.

**Q**uid petis á Latio properans, Amadæe? relinquis  
Cur patrium (quæso, dic) Amadæe, solum?  
Sicilicet ut virtus alibi splendescere possit  
Latiùs; in patriã nemo Propheta suã est.

## S. Gondissalo Lusitano Abbati.

XXI.

10. Octob.

**Q**uid tua vita fuit, Gondissale? totius Orbis  
 Tota stupor: rarâ nam probitate viget.  
 Mors igitur quid erit, vitæ nisi talis imago?  
 Qui mortem, vitam perspicit inde probam.  
 Plurima cõdecorant miracula, magnâque mortem:  
 Mors miram vitam mira secuta fuit.

S. Gondissalo ad Turres veteres in  
 Lusitaniâ cœnobij Eremita-  
 rum S. Augustini quon-  
 dam Præfuli, & ibi-  
 dem sepulto.

XXII.

15. Octob.

**N**ascenti dederat cunas Algarbia tellus;  
 Lysia sed munus, dat tumulumque tibi.  
 Te benè quàm meritum de se tamè utraque sentit.  
 Quàm tamen egregium reddis utrique decus!  
 Insignem, dum signa facis, tu reddis utramque:  
 Sidus ades nautis, ægrâque membra levas.

S. Paulo Orozio civi Bracharensi  
nobilissimo.

XXIII.

22. Octob.

**S**anguine, stella velut, doctrinâ, moribus atque,  
Sol velut, ingenuis, Maxime Paule, micas.  
Omnibus in rebus, non tantùm clarus in unâ  
Lumina quo pacto condere tanta potes?  
Illustras patriam LySIam; venientis ad oras  
Eôas radios hæresiarcha fugit,  
Occiduos repetis populos: occasus Ibera  
Est Carthago tibi; Româque corpus habet.  
Occideris sed enim quamvis Sol aureus, exstant  
Aurea scripta, quibus tu radiosus adhuc.

S. Udoni ex familiâ Augustinianâ  
Villacovæ nato in Diœcesi  
Conimbricensi.

XXIV.

1. Novemb.

**H**ujus ut innumeris virtutibus Orbis, & Ordo,  
Est suus impletus, fidera nobilitat.  
Illud at oppidulum, quod eum produxit alumnum,  
Sidera ad usque potest tollere jure caput.

SS. Martyribus Leonardo, & Columba  
fratribus Lusitanis.

XXV.

6. Novemb.

**U**T Leo, de promis valido de pectore vires:  
Cuncta, velut redolens nardus, odore replet.  
Ut Leo, debellas mortem quoque: nardus ut, ipsis  
Suavis es & Superis: sis Leonardus ita.  
Additur una soror; quamvis sine felle Columba,  
Quam lea, pro Christo plus generosa cadit.

S. Giraldo, aliàs Gerardo Gallo nati-  
one Archipræsuli Bracharenfi.

XXVI.

5. Decemb.

**I**Ndia mittit ebur, molles sua thura Sabæi;  
Gallia sed mittit lilia multa ferax.  
Hoc reliquis autem præstat, quæ protulit unquam:  
Ad melius siquidem transtulit illa solum.  
Transtulit at sanè Benedicti ad amæna vireta;  
Creverit hîc quantum, sacra tiara docet.  
Claudere sed liceat verbo complura sub uno:  
Sidera transcendit, crescere plusque nequit.

S. Verano sepulto apud Martulam in  
campo Orichienti. *Ex eadem*  
*Chronologiâ Anno 700.*

XXVII.

**N**ON tot flava Ceres auratis ditat aristas  
Arva, quot hic meritis Orichiese solum.  
Sedibus his placidis demortuus ille quiescit:  
Unde satis (reputo) fertilitatis honos.  
Agricolæ passim memores posuere Sacella  
Verano, memori quem pietate colunt.  
Depositum servans thesaurum denique tantum  
Aureus est nobis Orichientis ager.

S. Petro Gondissalvio miraculorum  
frequentia, & magnitudine ce-  
leberrimo. *Anno 1246.*

XXVIII.

**V**irtutis tantæ non est locus inscius Orbe:  
Testis a Ulyssæus quilibet hortus adest.  
En tua sic virtus & amænis floret in hortis,  
Instar & irrigui floris ubique viret.  
Gaudet item tanto jactatus nauta Patrono;  
Rectores in dubio visus adesse mari.  
Quis magis estve frequens signis, maiorve putandus?  
Nec jam terra capit, nec capit illa mare.  
a Ulyssipone hortorum curam gerentes, & navigan-  
tes illum, tanquam suum præcipuum Patronum,  
venerari solent.

SS. Paulo, Jacobo, & Joanni Mar-  
tyribus Japonensibus. An.

no 1597.

XXIX.

**U**T pateat, Christi quanto flagretis amore,  
Quam prius ille tulit, vultis adire necem.  
Ille quidem mortem patiens de morte triumphat,  
Vósque, genus mortis dum subiistis idem.  
Morte triumphatâ, superum conscendit Olympum  
Ille : sibi patulum quò Cruce sternit iter.  
Morte triumphatâ, sedem super astra tenetis:  
Quò Christo, vobis a Cruce aperitque viam.

• *Crucibus affixi migrârunt ad palmam.*

S. Godinnæ Lusitanæ Abbatissæ.

XXX.

**E** Gregias quot Magnus habet Benedictus alūnas,  
In tot primatum jure, Godinna, tenes.  
Quotquot enim reliquas decorant redolentia morū  
Lilia, cuncta simul te decorare solent.  
Præfidet ille viris, castis tamen ipsa puellis:  
Divisum munus cum Patre Mater habes.

S. Ilde.

S. Ildefonso Archipræsuli Toletano.

*Celebratur in Ecclesiâ Ulyssiponensi*

23. Januar.

XXXI.

**P**rotulit hoc nimum radians Hispania sidus;  
 Illius at regio lumine nulla caret.  
 Aurea scripta legas: quot ibi tibi verba legentur,  
 Tot radios tanti sideris hujus habes.  
 Fac venias ad facta: dabunt tibi singula lucem;  
 Hoc tibi jam sidus Solis ad instar erit.

Eidem veste mirifici candoris á Vir-  
 gine Matre donato.

XXXII.

**C**æli a Reginam per te Leocadia dicit  
 Vivere; quámque tibi grata Maria manet!  
 Accipito veltem nivei, Vir Magne, color is;  
 Hic color est animi: convenit ille color:

*a Per te vivit Domina mea &c. Ex vitâ.*



Translationi Divi Antonij Ulyssiponensis, cujus lingua, cum per triginta duos annos sub terrâ fuisset, integra, recens, ac rubicunda reperta est. In eadem Ecclesiâ 15. Febr.

## XXXIII.

**M**OS *a* erat antiquis linguas adolere nepoti  
 Athlantis vano, vanidicóque deo.  
 Obtulit æthereis Antonius ignibus aßam  
 Nempe suam Vero, Veridicóque Deo.  
 Dicat ad *b* incudem fabricatam Pindarus esse  
 Antoní linguam, quæ neque muta silet.  
 Hanc, velut ex ferro procutam, gentibus unam  
 Proponat veri verius indicium.  
 Ferrea namque velut durabunt vera, locuta  
 Ad varias gentes qualiacumque fuit.  
 Si sapiens Anacharsis eam nunc cernere posset,  
 Proh quàm responsum plauderet ille suum!  
 Quàm benè gnarus ego respondi (diceret) olim!  
 Lingua quidem res est optima: quisquæ videt.  
 Assimilem *c* pleætro linguam finxere vetusti;  
 Extitit hæc pleætrum lingua disertæ Dei.

*a* Pier. Val. Hieroglyphic. lib. 33. fol. 239. lit. E.

*b* Idem ibidem. f. 240. lit. B.

*c* Cic. de Naturâ deorum.

S. Engratiæ Virg. & Martyri Lusitanae, quæ cum octo, & decem equitibus, quos ei in Narbonensem Galliam ad nuptias proficiscēti pater assignaverat ad custodiam, ex itinere ultrò martyrium petijt.

*Ibidem 16. April.*

**XXXIV.**

**P** Rincipe nata viro quid ages, nisi Principe dignū?  
 Principe digna petis, Principe digna facis.  
 Te geris egregiè: nimis es laudabilis inde;  
 Te nisi sic gereres, degener ipsa fores.  
 Degener ipsa fores, & laudibus orba maneres;  
 At tibi nunc laudis portio nulla sat est.  
 Ad Superos præmittis eam, dux magna, cohortem,  
 Quæ, te dum stipat, te prius i&ta cadit.  
 Appetijt tormenta; sibi quis at ulla timeret,  
 Tanti te facti, scemina tanta, duce?



**Eidem**

Eidem super innumera tormenta ferreo clavo per caput usque ad cerebrum transfixæ.

## XXXV.

**C**onjugij specie, Virgo præclara, caduci Perpetuum quæris, perpetuumque tenes. Utque ratum maneat, proprio es dotata cruore: Ferreus obsignat clavis, & acta probat. Inde suo niveus thalamo te suscipit Agnus: Cujus *a* in accubitu nardus odora fragras.

*a* Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis Cantic. 1. 11.

S. Rocho, qui Cruce rubicundus natus est. *Ibidem* 16. Augusti.

## XXXVI.


**P**urpureâ Cruce dum prodis signatus ab alvo, Christi Militiæ nasceris acer Eques. Quam, Roche, Militiam cum sis à matre professus, Quis melius te Equitis munus obire valet? Te metuunt etiam morbi, pestésque malignæ: Cuncta nociva fugas, ut generosus Eques. Ut tantum meruit te mundus habere Patronum, Aura maligna quidem facta benigna juvat.

## Translationi S. Martyris Vincentij

Ibidem 15. Septemb.

XXXVIII.

**S**æva cadaveribus rostro fugat, unguibus arcet,  
 Quæ veniunt volucres, pignora servat avis  
**A'** corvis, qui vivit adhuc, quondam ille ministris  
 Est alitus Vates: Pagina Sacra docet.  
 Martyris á corvo sanctum famulante cadaver  
 Servari videas, ne populentur aves.  
 Corvus agit procul ipse lupum, quem credit amore  
 Prædæ actum: socium mox sibi corvus habet.  
 Corvusedax, rapidusque lupus venerantur, iniquus  
 Tradidit æquoreis quem Dacianus aquis.  
 Cælitus eripitur: fulvâ tumulatur arenâ:  
 Observant corvi quæ monumenta diu.  
 Impositumque rati corvi comitantur: & unus  
 Dum proram, puppim, rector ut, alter habet;  
 Littus Ulyssæum petitur, tandemque tenetur;  
 Non ratis hac subijte ditior ulla Tagum.



SS. Martyribus Verissimo, Maximæ,  
& Juliæ Fratribus Ulyssiponen-  
sibus. *Ibidem* 1. Octob.

## XXXVIII.

Sint quoque vim ferri nisi viscera passa cruenti,  
Fratres pro nihilo, quæ patiuntur, habent.

Viscera nam jugi torrentur amore Tonantis:

Sanguinis hic fluvijs maximus ardor eget.

Ergo trium laniantur item præcordia Fratrum:

Nil magis & cordi Fratribus esse potest.

Idque probant ipsi lætum pæana canentes,

Atque volutantes gaudia vera poli.

Denique subjiciunt sævæ jam colla bipenni;

Victores vidit terra, videtque mare.

Ecce triumphantes redduntur ab aquore: littus

Excepit patrium, præbuit & tumulum.

Vulgari verbo sanctos locus inde vocatur:

Nomen & hoc alij nempe dedere loco.

Sunt loca bina parum; meritis ingentibus illi

Cuncta ferè possunt reddere sancta loca.



S. Irenæ Virg. & Mart. Lusitanæ  
Nabantinæ. *Ibidem* 20. Octob.

XXXIX.

**A** Bsq̄ue pudicitiā jacturâ Virgo perempta,  
Amisâ turpem fers sine jure notam.  
Corpus in Ozechari maçtatā mergitur undis:  
Quod tamen aurifero tradidit ille Tago.  
Mox Tagus excipiens Jordanis more refluxit:  
Sicque pudicitiam denotat ecce tuam.  
Quod dubitant homines, certò Tagus asserit: atque  
Rem probat hanc refluus, restitultque decus.  
Ne dubitent homines ultrâ, de marmore factus  
Conspicitur tumulus, qui latitabat aquis.  
Accedunt etiam miracula magna; videntes  
Te cupiunt pariter vellere cum tumulo.  
Sed Tagus, innocuam qui te benè gnarus adorat,  
Fluctibus hunc operit, jure suò que tenet.  
Hæcque ait: auriferis ut jam plùs diter arenis,  
Qui benè te novi, te retinebo mihi.



SS. Chris-

SS. Crispino, & Crispiniano Fra-  
tribus, & Martyribus. *Ibidem*

25. Octob.

XL.

**A**rdua concordēs invaditis omnia Fratres:  
Omnia nam virtus ardua semper amat.  
Sæpe quidem cedunt alijs tantummodò pœnæ;  
Pro vobis pœnas dimicuisse patet.

Plùs vos, quàm reliquos illæ timuere: ministros  
Interimunt, vobis sèque placere putant.

Pòst autem gladius plùs morigeratur acutus,

Dum ferit, & meritum dat diadema simul.

E' cælo pugnatis adhuc, & fortius: unde

Lusiadis tantam nempe tulistis opem.

Urbsid. Ulyssipo testatur grata quotannis,

Quæ dominam vestrâ se profitetur ope.

*\* Hac die è Saracenorum potestate Ulyssipo erepta est.*



OPUSCULA  
 coronis Christus  
 patiens.

Ad Sudorem sanguineum.

*Epigram. I.*

Sanguine sudantem Christum meditaris in Horto?  
 Sanguine ni fudas, plus adamante riges.  
 Sis quamvis adamas, adamantéve durior, Agni  
 Sanguis adest; omnem ponito duritiem.

Ad Vincula.

*II.*

Vincula tibi parcant, onerent me vincula merètem:  
 Crimina qui feci, vincula ferre volo.  
 Dat \* veniam corvis, vexat censura columbas;  
 Corvus ego rapui, tūque columba luis.

\* *Juvenal. Sat. 2.*

## Ad Columnam.

## III.

**A** Nte a Deum legitur cæli titubare columnas,  
 Quem manibus vinctum crassa Columna tenet.  
 Sed quid compulerit tam vilia ferre Tonantem?  
 Crimina, quæ temerè patrat iniquus homo.  
 Ergo Deum religant hominum peccata Columnæ;  
 Quid, quò plùs ultrà progrediantur, habent?

*Colūna cæli contremiscunt ad nutū ejus. Job 26.11.*

## Ad Flagellationem.

## IV.

**R** Estat adhuc aliquid, restant & plura nefanda;  
 Dilacerant etiam dira flagella Deum.  
 Illius a in dorso fabricam struxére scelesti,  
 Feceruntque suam crescere nequitiam.  
 Obstupuit cælum, Tellus, mare; cuncta creata  
 Condolere, nihil condolet unus homo,

*Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores;  
 prolongaverunt iniquitatem suam. Psalm. 128.*



## Ad spineam Coronam.

V.

**Q**UI terram nostram vultûs sudore rigâsti;  
 Spinas, & tribulos protulit illa tibi.  
 Extirpes tamen ut penitûs spineta malorum,  
 Accipis, atque lubens spinea ferta geris.

## Ad Sceptrum arundineum.

VI.

**P**RO Sceptro viridis, regum Rex, fulget arundo:  
 Cultu pro merito ludicra verba sonant.  
 Audeat ecquisnam ridentem ducere vitam,  
 Te sic deriso, permetuende Deus?



N

Ecce

## Ecce Homo.

## VII.

**A**D populam iudex Hominem producis iniquus;  
 Pessimus (o!) quid agas, præmeditator homo.  
 Hunc bene si nôlles Hominem, perverse Pilate,  
 Dicere debueras: En Deus, en & Homo.  
 Ast Hominem, nobis veluti proponis, eundem  
 Accipimus, colimus, credimus esse Deum.  
 Et nostris Hominem tantum si rebus in arctis  
 Nos habeamus, erit non opus alter homo.

Ad Christum Crucis labantem  
 pondere.

## VIII.

**C**Ujus ad obtutum titubare fatemur Olympum,  
 Cernimus horrendâ nunc titubare Cruce.  
 Quid faciat titubare Deum? non prægrave robur,  
 Horrida nec, tergis quæ tulit antè, flagra:  
 Sed quæ pravus homo committis prava; quiesces  
 Ne (precor ó!) facias sic titubare Deum.



## Eidem Cruci affixo.

IX.

SI mediter clavos, thalamus Crux ferreus: at si  
 Cervical mediter, spineus est thalamus.  
 Si mediterque Crucem, thalamus mihi ligneus ipsa  
 Cernitur; en igitur nil, nisi dura, noto.  
 Sed quid mirer ego? campestris lectulus illa est;  
 Quam tibi, Flos *a* campi, lectulus iste decet!

*a* Ego flos campi. Cantic. 2. 1.

## Ejusdem Monumento.

X.

CONDITUR obscuris tenebris Lux nostra? sepulchro  
 Nostraque funereo mortua Vita jacet?  
 Conditur angustâ speluncâ Conditor Orbis?  
 Marmoreo recubat noster Amor thalamo?  
 Cordis amicorum tumulo cælare figuram  
 Mos erat antiquis, ne moreretur amor.  
 Hic mea Vita, meû Cor, Amor meus omnis, & unus  
 Hic jacet: hic vivum cor tumulabo meum.



## Eidem resurgenti.

XI.

**M**Ors, homines, Erebus vibrârunt tela; resurgit  
Omnia tela terens en Homo, Vita, Deus.

## Eidem cælos ascendenti.

XII.

**P**Lura polo Tellus, & maxima debuit olim,  
Telluri versâ nunc vice plura polus.  
Telluri dedit ille Deum tantummodò: Tellus  
Illi grata Deum reddidit, atque Hominem.



## Ad festum Pentecostes.

## XIII.

**D**ivinum dignè quis (dic) celebrabit Amorem?  
 Hujus quem teneat verus Amoris amor.  
 Tu nocuos igitur, Spirabile Numen, amores  
 Mentibus in nostris ignibus ure tuis.  
 Ritè tuos aliter tibi non dicemus honores,  
 Ni prius exuras corda dicanda tibi.  
 Ignibus implèsti tibi dedita pectora; tanti  
 Ignis erit nobis portio parva satis.

Solemnitati Sanctissimi Cor-  
poris Christi.

## XIV.

**S**i panem video, si tango, gustoque panem,  
 Quomodò pauper edo, vilis homoque Deum?  
 Deficiunt sensus, ratióque humana vacillat;  
 Dicere quid poterò? nil; taciturnus edam.





## SEQUITUR

Ejusdem auctoris in triduanam

# PUERI JESU

A VIRGINE MATRE, ET B. JOSEPH  
absentiam

## ELEGIA.

**H**Uc, mea Musa, veni : tragicos tibi sume cothure  
Deficiunt *a* etenim gaudia, luctus adest. (nos:

Luctus adest, & corda gravis dolor undique pulsat;

Ora, sinus madeant, vox gemebunda sonet.

Vox gemebunda sonet, suspiria longa trahantur,

Pendeat *b* & nimio muta dolore lyra.

Ecquis enim poterit nostris modus esse querelis,

Planctibus aut nostris ecquis adesse modus?

Innumeras superent numero suspiria arenas,

Insimul & lacrymæ salsa fluenta maris.

*a* Defecit gaudium cordis nostri : versus est in luctum chorus noster. Thren. 5. 15.

*b* Suspendimus organa nostra. Psalm. 136. 2.

Non fit inaccessible, quamvis Hyperionis expers  
 Lumine, lamentis ullus in Orbe locus.  
 Fletibus (heu!) vestros, homines, perfundite vultus,  
 Per vestrosque sinus imber amarus eat.  
 Pervadant gemitus augusta palatia Divum;  
 Et Superi (liceat si quoque flere) fleant.  
 Non cessat natos Rachel plorare peremptos,  
 Solamenque suis rejicit illa malis.  
 Nos magis, ac Rachel, multo ploremus, oportet:  
 Quis maior multo causa doloris adest.  
 Deest. Eheu! crebris singultibus acta retrorsum  
 Pectoris en repetit vox tremebunda sinus.  
 Deest. Eheu! celerata praeis quid lingua locutum?  
 Non adeo te nunc prompta loquela decet.  
 Siste, file, sine, quod tacitis mens anxia curis  
 Aestu et interius malo subire mala.  
 Deest. Eheu! me nepe dolor quam stragulat ingens!  
 Ecquis opem dextram non remorante ferat?  
 Praepropero saevum fato finire dolorem  
 Malueram sane, quam tot acerba pati.  
 Deest. Eheu! quis erit, qui talia promere verba  
 Audeat, infelix atque superfit adhuc?  
 Deest (eheu!) melior facie meliore Cupido,  
 Noltraque qui melius corda triumphat Amor.  
 Deest (eheu!) referens homini Puer aurea saecula,  
 Altisoni proles indubitata Dei.  
 Deest, inquam (quis erit, qui non fleat?) almus JESUS  
 Vita, salus homini, lux, via, dux, & amor.

Rachel plorans filios suos, & noluit consolari.  
 Matth. 2. 18.

Agnus *d* ut hic verus typicum celebraverat agnū,  
 Deferuit Matrem, deseruitque patrem.  
 Alter eum alterius focium tamen ire putabant;  
 Fallitur ipsa Parens, fallitur ipse pater.  
 Mox, ubi cum neutro Puerum rediisse notatum est,  
 Lustrat uterque pedum singula signa retro.  
 Non aliter, quam foeta bidens suspirat ademptum  
 Agnellum, balans irrequieta diu,  
 Huc, illuc plateasque, viasque peragratur uterque,  
 Amissumque dolens quaerit uterque Deum.  
 At non comparet quaesitus ubique Puellus;  
 Expavet ipsa Parens, expavet ipse pater.  
 Huc, lacrymae, huc, fletus, queruli, huc accurrite,  
 Pectora sollicito victa dolore cadunt: (placatus;  
 Solvar ego in lacrymas: maestum comes ibo Paren-  
 Discurram: scissis exululabo comis. (tum:  
 En animis defecta jacet purissima Virgo,  
 Haec ait & nimio *e* languida amore Parens.  
 Ah Simeon, Simeon Vates venerande, locutus  
 Pectore praesago quam mihi vera tuo es!  
 Obruitur nostrum lacrymarum flumine pectus,  
 Prorsus & in liquidas ipsa resolvor aquas.  
 En *f* mihi jam gladius dedit immedicabile vulnus,  
 Quo peream, Puer non redeunte meo.  
 Jam prius ast aliud fueram perpessa, cruento  
 Cum dare nos regi terga necesse fuit.

*d* Ibant parentes ejus per omnes annos in Hierusalem in die solenni Paschae. Luc. 2: 41.

*e* Nunciate ei, quia amore langueo Cantic. 5. 8.

*f* Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Luc. 2. 35.

Attamen ipsa fovens charum mihi pignus in ulnis,  
 Oscula delibans brachia nexa dabam.  
 Tunc mihi justitiæ Solis splendore fruenti  
 Exilium patriâ dulcius illud erat.  
 At quid nunc faciam? quò, quò me vertere fas est,  
 Lumine quæ penitùs sum viduata meo?  
 Quid mihi nunc animi? sanguis mihi pectore totus  
 Obrigit, veluti lymphæ coacta gelu.  
 Nomine g mutato Mariæ, mare dicar amarum,  
 Me super Omnipotens cùm tot amara pluat.  
 Turturis *h* ut primùm vox hæc audita, repente  
 Marmora duritiem deposuisse ferunt.  
 Concussit montes, valles concussit & unâ  
 Vox hæc, & properas sistere fecit aquas.  
 Respondent longis durissima saxa querelis:  
 In lustris que suis condoluere feræ.  
 Anxia, balatus iterans velut agna tenellos,  
 Ingeminat gemitus Virgo sacrata suos.  
 Deliciæ nostræ, nostrum decus, optime Nate,  
 Non mihi pars animæ, tota sed ipsa anima:  
 Non ignoro tuas gemitus hos ire per aures,  
 Quandoquidem *i* renes, imâque corda vides.  
 Quàm te jure *l* Deum possum vocitare latentem,  
 Dum mihi filiulus, lux mea, vita lates!

*g* Ne vocetis me Noëmi, sed vocate me Mara, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens.

Ruth. 1. 20.

*h* Vox turturis audita est in terrâ nostrâ. Cantic. 2. 12.

*i* Scrutans corda, & renes Deus. Psalm. 7. 10.

*l* Verè tu es Deus absconditus. Isai. 45. 15.

In te quid potui sceleris committere tantum,  
 Cur tam dura mihi pcena ferenda foret?  
 Me præ tristitiâ mortis sub agone jacentem  
 Cur, peramande Puer, deseruisse placet?  
 Eia tuam nullum Matrem solamen habentem  
 Respice, te teneat quisquis in Orbe locus.  
 Absque *m* meo nunquam permisso solus abire  
 Es solitus, minimum tu neque ferre gradum.  
 Quâdo patrē, Matrēve relinquere, Nate, tenēbris,  
 Immerfos solitus tu sine luce tuos?  
 Quando ego te sensi graviter, levitēve molestum,  
 Semper amans, semper morigerate Puer?  
 Nempe capeſſebas maior mandata minoris,  
 Qui *n* servile quidem munus obire venis.  
 Qui nihil absque meo jussu fecisse solebas,  
 Dic, quæſo, cur nunc non mihi jussus abes?  
 Heu, vitâ functi natus si fortè tyranni,  
 Regna paterna velut sub ditione tenet,  
 Sic gerit in justum, sævum, capitale, nefandum  
 In te odium, duri cōrque parentis habet!  
 Criminis heu falsi si te quis detulit Agnum,  
 Arctâque vincla gerens ante tribunal ades!  
 Heu, si judicio jam tu damnatus iniquo,  
 Quæ manet, horrendam perpetiâre necem!  
 Huc, *p* precor, huc oculos cuncti cōvertite vestros,  
 Carpere propositum qui properatis iter.

*m* Erat subditus illis. Luc. 2. 51.

*n* Nō veni ministrari sed ministrare. Matth. 20. 28  
 Formam servi accipiens. Philip. 2. 7.

*p* O' vos omnes, qui transitis per viam, attendite, &  
 videte, si est dolor, sicut dolor meus. Thren 1. 1.

Hunc

Hunc, iterum atque iterum quæso, p̄sate dolorem,  
 Cui nusquam similis repperiendus erit.  
 Talia dum loquitur, ploratibus undique complet  
 Virgo intacta, Parens nunc miseranda vias.  
 Profiliunt oculis gemmarum flumina; gemmas  
 Tithoni conjux unde serena legit.  
 Tam ditēs noli disperdere, Virgo, lapillos,  
 Quos merito Tellus nescit habere loco.  
 Gemmifero potiùs tu pectore parca recondas  
 Hos, precor: exsiccet, te nimis oro, genas.  
 Tu quoque idem facito, castissime Virginis almæ  
 Sponse; tui cessent imbre madere sinus.  
 Pellite tristitias, animisq̄e resumite vires:  
 Auditote, precor: nūcia læta fero.  
 Scire tamen vellem, dabitur quæ præmia tūque,  
 Vera Parens Virgo, credite tūque pater.  
 Abjicitote moras, remeate Sionis ad urbem:  
 Quærite Dilectum: repperietis ibi.  
 Ne tamen erretis varias lustrando platéas,  
 Hinc illinc totâ fitis & urbe vagi,  
 Ne vel ab ignotis dubij quærat, ubi sit,  
 Vos quoque de certo nempe docebo loco.  
 Quod Davidiades secto de marmore templum  
 Augustum posuit, rursus adste, precor;  
 Doctores, p̄ intêrque senes de Lege loquentes  
 Doctor, & auditor suspiciendus adest.

*p̄ Invenerunt illum in templo sedentem in medio  
 doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.  
 Luc. 2. 46.*

Talia qui vobis, sancti, mæstique Parentes,  
Nunciat, hic vestram promereatur opem.  
Inventumque, precor, pro me exorate Puellum,  
Ut pius ignoscat tanta piacula mihi.

LAUS DEO,  
Virginique Matri, & Beato  
Joseph.



EJUSDEM AUCTORIS  
 AD SACRAM IMAGINEM  
 Genetricis Dei Mariæ de Valle  
 nuncupatæ, multis claram mi-  
 raculis, in Ulyssiponensi  
 Æde Sancto Eligio Sa-  
 crâ collocatam

*Epigramma.*

**A** Rboribus, vel aquis, fructu, vel floribus ecqua  
 Huic Valli similis vallis amæna viret?  
 Hic *a* Libani frondosa cedrus, procæra Sionis  
 Vertice cupressus fidera clara ferit.  
 Hic, *b* velut in campis, formosa virescit oliva:  
 Hic platanus liquidis proxima nutat aquis.

- a* Quasi cedrus exaltata sum in Libano, & quasi  
 cypressus in monte Sion. Ecclesiast. 24. n. 17.  
*b* Quasi oliva speciosa in campis, & quasi platanus  
 exaltata sum juxta aquam, Ibidem n. 19.

Explicat *c* hinc ramos partes terebinthus in omnes;  
Illius at rami gratia sunt, & honor.

Hic *d* Jericho rosa pluchra nitet: palmæque virētis

Hic, velut in Cades, nubila pulsat apex. (tha:

Balsama *e* semper olēt, redolet simul undique myr-  
Cinnama jucundo semper odore fragrant.

Fons *f* placidis signatus aquis rigat undique Vallē,  
Hortus conclusus quam decorare solet.

Lilia *g* virginei canent hinc verna pudoris:

Omnis & hinc illinc copia floris adest.

Virga *h* tulit, seu Virgo suum Jessæa decōrum

Hic Florem patriæ Nazareth omne decus.

Hic *i* tulit illa Vitis dulcem generosa Racemum,

Postea *l* Virgineum qui dedit ipse Merum.

Virgineumque *m* Solum frumenti fertile Grano  
Angelico valuit nos recreare Cibo.

*c* Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, & rami mei honoris, & gratia. Ibid. n. 22.

*d* Quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plā-  
tatio rosa in Jericho. Ibid. n. 18.

*e* Sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans  
odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavita-  
tem odoris. Ibid. n. 20.

*f* Hortus conclusus. fons signatus. Cantic. 4. n. 12.

*g* Venter tuus vallatus lilijs. Cantic. 7. n. 2.

*h* Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice  
ejus ascendet. Isai. 11. n. 1.

*i* Ego, quasi vitis, fructificavi. Ecclesiast. 24. n. 23.

*l* Vinum germinans virgines. Zachar. 9. n. 17.

*m* Venter tuus, sicut acervus tritici. Cantic. 7. n. 20.

Infidet n̄ hic tandem Supremi Numinis umbra:  
 Hic simul Æterni Flaminis aura viget.  
 Hac in Valle nihil, nisi passim mira videre  
 Quid mirum est? Vallem nempe Mariacolit.

*n̄ Virtus Altissimi obumbrabit tibi, & Spiritus S̄  
 Superveniet in te. Luc. 1. n. 35.*


*Omnia sub correctione S. Ma-  
 tris Ecclesie.*



The following is a list of the  
 names of the persons who  
 have been elected to the  
 office of the President of  
 the United States since  
 the year 1789.

George Washington  
 John Adams  
 Thomas Jefferson  
 James Madison  
 James Monroe  
 James Q. Adams  
 Andrew Jackson  
 Martin Van Buren  
 William Henry Harrison  
 John Tyler  
 Zachary Taylor  
 Franklin Pierce  
 James Buchanan  
 Abraham Lincoln  
 Andrew Johnson  
 Ulysses S. Grant  
 Rutherford B. Hayes  
 James A. Garfield  
 Chester A. Arthur  
 Grover Cleveland  
 Benjamin Harrison  
 William McKinley  
 Theodore Roosevelt  
 Woodrow Wilson  
 Warren G. Harding  
 Calvin Coolidge  
 Herbert Hoover  
 Franklin D. Roosevelt  
 Harry S. Truman  
 Dwight D. Eisenhower  
 John F. Kennedy  
 Lyndon B. Johnson  
 Richard M. Nixon  
 Gerald R. Ford  
 Jimmy Carter  
 Ronald Reagan  
 George H. W. Bush  
 Bill Clinton  
 George W. Bush  
 Barack Obama  
 Donald Trump





# INDEX.

## A

- A** Bdon Mart. *Epig.* 164. p. 96  
**A** Achilleo Mart. *epig.* 104. p. 60  
 Adaucto Mart. *epig.* 205. p. 120  
 Adriano Mart. *epig.* 210. p. 123  
 Ægidio Abbati *epig.* 207. p. 121  
 Agapito Mart. *epig.* 187. p. 109  
 Agathæ Virg. & Mart. *epig.* 51. p. 29  
 Agneti Virg. & Mart. *epig.* 32. p. 19  
 Agricolæ Mart. *epig.* 257 p. 150  
 Alexandro Pap. & Mart. *epig.* 96  
 p. 55.  
 Alexandro Mart. *epig.* 11. p. 172  
 O Ale-

- Alexio Confes. *epig.* 149. p. 88
- Amadæo Lusitano *epig.* 20. p. 177
- Ambrosio Episcopo *epig.* 282. p. 163
- Anacleto Papæ, & Mart. *epig.* 146  
p. 86.
- Anastasio Mart. *epig.* 34. p. 20
- Andræ Corsino *epig.* 50. p. 29
- Andræ Apostolo *epig.* 276. p. 160
- Angelis Custodibus *epig.* 234. p. 136
- Aniceto Pap. & Mart. *epig.* 81. p. 46
- Anuntiationi B. M. V. *epig.* 75. p. 42
- Antonino Florétino *epig.* 101, & 102  
p. 58.
- Antonio Abbati *epig.* 24. p. 15
- Antonio Ulyssiponēsi *epig.* 126. p. 73
- Ejusdem Translationi *epig.* 33. p. 184
- Apollinari Episcop. & Mart. *epig.*  
155. p. 91
- Apol.

Apolloniæ Virg. & Mart. *epig.* 55  
 p. 31, & *epig.* 56. p. 32

Apuleio Mart. *epig.* 239. p. 140

Assumptioni B. M. V. *epig.* 185  
 p. 108.

Athanasio Episcop. & Cōfes. *epig.* 94  
 p. 54.

Augustino Episcopo, & Confessori  
*epig.* 197. p. 115.

## B

**B** Accho Mart. *epig.* 239. p. 140  
 Barbaræ Virg. & Mart. *epig.* 279  
 p. 161.

Barnabæ Apostolo *epig.* 124. p. 72

Bartholomæo Apostolo *epig.* 194  
 p. 113.

Basilidi Mart. *epig.* 125. p. 73

- Basilio Magno *epig.* 127. p. 74  
 Beatrici Mart. *epig.* 163. p. 95  
 Benedicto Abbati *epig.* 73. & 74  
 p. 41.  
 Benedicto Lusitano *epig.* 181 p. 176  
 Bernadino Senensi *epig.* 112 p. 65  
 Bernardo Abbati *epig.* 188 p. 110  
 Bibianæ Virg. & Mart. *epig.* 277  
 p. 160.  
 Birgittæ viduæ *epig.* 240. p. 140  
 Blasio Episcop. & Mart. *epig.* 49  
 p. 28.  
 Bonifacio Mart. *epig.* 107. p. 61  
 Bonaventuræ Cardinali *epig.* 147  
 p. 87.  
 Brigidæ Virg. Lusitanæ *epig.* 2. p. 168  
 Brunoni Confes. *epig.* 237. p. 139

## C

- C** Æciliæ Virg. & Matt. *epig.* 270  
 p. 157.
- Caetano Confes. *epig.* 174. p. 102
- Caio Pap. & Mart. *epig.* 83. p. 47
- Callisto Pap. & Mar. *epig.* 244. p. 142
- Canuto Regi *epig.* 27. p. 16, & *epig.*  
 28. p. 17.
- Carolo Borromæo *epig.* 256. p. 149
- Casimiro Confes. *epig.* 61. p. 34
- Cassiano Mart. *epig.* 184. p. 108
- Catherinæ Senensi *epig.* 91. p. 52
- Catharinæ Virg. & Mart. *epig.* 273  
 p. 158.
- Cathedræ Romanæ *epig.* 25. p. 15
- Celso Mart. *epig.* 160. p. 94
- Christinæ Virg. & Mart. *epig.* 156. p. 92
- O iij Chri-

Christo nato	<i>epig.</i> 1.	p. 1
Vagienti	<i>epig.</i> 2.	p. 2
Ubera sugenti	<i>epig.</i> 3.	p. 3
Circuunciso	<i>epig.</i> 10.	p. 6
Baptizato	<i>epig.</i> 13.	p. 9
Aquam in vinum convertenti	<i>epig.</i> 16.	p. 11.
In templo præsentato	<i>epig.</i> 47.	p. 27.
Quinque siclis redēpto	<i>epig.</i> 48.	p. 28.
Patienti	<i>epig.</i> 1.	p. 191. & in <i>sequentibus.</i>
Sepulto	<i>epig.</i> 10.	p. 195
Resurgenti	<i>epig.</i> 11.	p. 196
Cælos ascendēti	<i>epig.</i> 12.	ibidem.
Christophoro Mart.	<i>epig.</i> 158.	p. 93
Chrysanto, & Dariæ conjugibus, & Martyribus	<i>epig.</i> 251.	p. 147 Chry.

- Chryfogono Mart. *epig.* 272. p. 158
- Claræ Virg. *epig.* 182. p. 106
- Cleméti Pap. & Mart. *epig.* 271. p. 157
- Cleto Pap. & Mart. *epig.* 83. p. 47
- Columbæ Mart. *epig.* 25. p. 180
- Cōceptioni B. M. V. *epig.* 283. p. 163
- Conversioni Divi Pauli Apostoli  
*epig.* 38. p. 22
- Cornelio Pap. & Mart. *epig.* 216.  
p. 126.
- Cosmæ Medico, & Mart. *epig.* 229.  
p. 133.
- Crispino, & Crispiniano Martyribus  
*epig.* 40. p. 190
- Cypriano Mart. *epig.* 217. p. 126
- Cypriano alteri Mart. *epig.* 228.  
p. 133.
- Cyriaco, & socijs Martyribus *epig.*  
176. p. 103
- O iiij  
Dama-

## D

**D** Anaso Pap. *epig.* 285. p. 164

**D** Damiano Medico, & Mart.

*epig.* 229 p. 133

**D**edicationi Michaelis Archangeli

*epig.* 231. p. 135

**D**ecollationi Joannis Baptistæ *epig.*

199. p. 116

**D**idaco Confes. *epig.* 265. p. 154

**D**ionysio Episcop. & Mart. *epig.* 241

p. 141.

**D**ominico Confes. *epig.* 170. p. 100

**D**onato Mart. *epig.* 175. p. 102

**D**orotheæ Virg. & Mart. *epig.* 52

p. 30.

**D**orotheo Mart. *epig.* 211. p. 123

**D**uodecim Fratibus Martyribus

*epig.* 208. p. 122

Eduar-

## E

- E** Duardo Regi *epig.* 243. p. 142
- E** Eleutherio Pap. & Mart. *epig.*  
116. p. 67
- Eleutherio Mart. *epig.* 242. p. 141
- Eliæ Mart. *epig.* 8. p. 171
- Elisabethæ Reginae Portugallia *epig.*  
139. p. 82
- Elisabethæ Reginae Hungariae *epig.*  
267. p. 155
- Emerentianæ Virg. & Mart. *epig.* 36  
p. 21.
- Engratiæ Virg. & Mart. *epig.* 34. p. 185  
& *epig.* 35. p. 186
- Ad Epiphaniam *epig.* 12. p. 8
- Infra octavam p. 9, 10, 11.
- Erasmio Mart. *epig.* 121. p. 71
- Evaristo Pap. & Mart. *epig.* 252  
p. 147. Euphe-

Euphemixæ Virg. & Mart. *epig.* 218.

p. 127.

Eusebio Episcop. & Mart. *epig.* 277.

p. 165.

Eustachio Mart. *epig.* 223. p. 130

Exaltationi S. Crucis *epig.* 214. p. 125

## F

**F** Abiano Pap. & Mart. *epig.* 31.  
p. 18.

Faustino Mart. *epig.* 58. p. 33

Faustino alteri Mart. *epig.* 163. p. 95

Felici Mart. *epig.* 19. p. 12. & *epig.* 20.

p. 13

Felici Pap. & Mart. *epig.* 118. p. 69

Felici alteri Mart. *epig.* 163. p. 95

Felici etiam Mart. *epig.* 204. p. 120

Felici de Valois *epig.* 54. p. 31

Feliciano Mart. *epig.* 123. p. 72

Feli.

- Felicitati Mart. *epig.* 65. p. 36  
 Flaviæ, & collactaneis Martyribus  
*epig.* 105. p. 60  
 Franciscæ Viduæ *epig.* 66. p. 37  
 Francisco Salesio *epig.* 41. p. 23  
 Francisco de Paula *epig.* 76. p. 43  
 Francisco Seraphico *epig.* 235. p. 137  
 Francisco Xaverio *epig.* 278. p. 161  
 Fructuoso Episcop. *epig.* 7. p. 170

## G

- G** Eorgio Mart. *epig.* 84. p. 48  
 Gervasio Mart. *epig.* 125. p. 73  
 Giraldo, aliàs Gerardo *epig.* 26. p. 180  
 Godinnæ Abatissæ *epig.* 30. p. 182  
 Gōdissalo Amaranthio *epig.* 12. p. 173  
 Gondissalo Abbati *epig.* 21. p. 178  
 Gōdissalo Algarbiensi *epig.* 22. *ibidē.*  
 Gordi.

Gordiano Mart. *epig.* 103. P. 59

Gregorio Magno *epig.* 69. P. 38

Gregorio Nazianzeno *epig.* 100. P. 57

Gregorio Mart. *epig.* 211. P. 123

Gregorio Thaumaturgo *epig.* 268.

P. 154

Grino Mart. *epig.* 125. P. 73

Gualtéro Confes. *epig.* 19. P. 177

## H

**H** Eduvigi Ducissæ *epig.* 246.

P. 144.

Henrico Imperat. *epig.* 148. P. 88

Hermenegildo Regi, & Mart. *epig.* 79

P. 44.

Hermeti Mart. *epig.* 198. P. 116

Hieronimo Confes. & Eccles. Doc-

tori *epig.* 232. P. 135

Hilario

- Hilario Episcop. & Cōfes. *epig.* 18 p. 12  
 Hilarioni Abbati *epig.* 249. P. 149  
 Hilarino Mart. *epig.* 175. P. 102  
 Hippolyto Episcop. & Mart. *epig.* 191  
 p. 111  
 Hippolyto M. *epig.* 183. p. 107  
 Hyacintho Confes. *epig.* 186. p. 109  
 Hyacintho Mart. 213. p. 124

## I

- J** Acobo Apostolo *epig.* 93. p. 54  
 Jacobo alteri etiam Apostolo  
*epig.* 157. p. 92  
 Jacobo Mart. *epig.* 29. p. 182  
 Januario Episcop. & Mart. *epig.* 222  
 p. 129.  
 Sāctissimo Nomini JESU *epig.* 11. p. 7  
 Ignatio Mart. *epig.* 45. p. 26  
 Ignatio

- Ignatio Confessori *epig.* 165. p. 97
- Ildefonso Archipræsuli Toletano  
*epig.* 31. p. 183
- Impressioni Sacrorum Stigmatum in  
corpore B. Francisci *epig.* 220.  
p. 128
- SS. Innocentibus *epig.* 7. p. 5
- Innocentio Papæ *epig.* 161. p. 94
- Inventioni S. Crucis *epig.* 95. p. 55
- Joachim B. M. V. genitori *epig.* 72.  
p. 40
- Joanni Evangelistæ *epig.* 6. p. 4
- Joanni Chrysofomo *epig.* 40. p. 23
- Joanni de Matha *epig.* 54. p. 31
- Joanni ante portam Latinam *epig.* 98  
p. 56
- Joanni Pap. & Mart. *epig.* 117. p.  
68
- Joanni Baptistæ *epig.* 133. p. 77
- Joanni

- Joanni, & Paulo fratribus, & Marty-  
ribus *epig.* 134. p. 78
- Joanni Gualberto *epig.* 144. p. 85
- Joanni á Deo *epig.* 14. p. 174
- Joanni Mart. *epig.* 29. p. 182
- Josepho Sponio B. M. V. *epig.* 71.  
p. 40
- Jovitæ Mart. *epig.* 58. p. 33
- Irenæ Virg. & Mart. *epig.* 39. p. 189
- Isidoro Mart. *epig.* 8. p. 171
- Juliaæ Mart. *epig.* 38. p. 188

## L

- L** Aurentio Mart. *epig.* 178, & 179  
p. 104.
- Leonardo Mart. *epig.* 25. p. 180
- Leoni Papæ *epig.* 78. p. 44
- Leoni etiam Pap. *epig.* 135. p. 78
- Lino

Lino Pap. & Mart. *epig.* 226. p. 132

Lucæ Evangelistæ *epig.* 247. p. 144

Luciæ Mart. *epig.* 219. p. 127

Luciæ Virgini & Mart. *epig.* 276. p.

165

Lucio Papæ, & Mart. *epig.* 62. p. 35

Ludovico Galliarum Regi *epig.* 195.

p. 114

## M

**M** Achabæis Martyribus *epig.*  
167. p. 98

Marcellino Pap. & Mart. *epig.* 87.

p. 50

Marcello Pap. & Mart. *epig.* 23. p. 14

Marcello Mart. *epig.* 239. p. 140

Marco Evangelistæ *epig.* 85. p.

49

Mar.

- Marco, & Marcelliano Martyribus  
*epig.* 129. p. 75
- Marco Papæ *epig.* 238. p. 139
- Margaritæ Scotorum Reginæ *epig.*  
 140. p. 83
- Margaritæ Virg. & Mart. *epig.* 151  
 p. 89
- Mariano Mart. *epig.* 11. p. 172
- Mariæ Magdalenæ de Pazzi *epig.* 113  
 p. 65
- Mariæ Magdalenæ *epig.* 153. p. 90, &  
*epig.* 154. p. 91
- S. Mariæ ad Nives *epig.* 171. p. 100
- Mario, & Marthæ &c. Martyribus  
*epig.* 29. p. 17
- Marrochij Martyribus *epig.* 1. p. 167
- Marthæ Virgini *epig.* 162. p. 95
- Martinæ Virg. & Mar. *epig.* 42. &  
*epig.* 43. p. 24
- P
- Mar-

- Martiniano Mart. *epig.* 138. p. 81
- Martino Episcop. & Confes. *epig.*  
262. p. 152
- Martino Episcopo Dumiensi *epig.* 6.  
p. 170
- Martino Pap. & Mart. *epig.* 264.  
p. 153
- Mathiæ Apostolo *epig.* 60. p. 34
- Matronæ Virg. & Mart. *epig.* 15.  
p. 175
- Matthæo Apostolo *epig.* 224. p. 130
- Mauricio, & socijs Martyribus *epig.*  
225. p. 131
- Mauro Abbati *epig.* 21. p. 14
- Maximæ Mart. *epig.* 38. p. 188
- Maximo, & socijs Martyribus *epig.*  
80. p. 45
- Melchiadi Pap. & Mart. *epig.* 284.  
p. 164

Melithoni Mart. <i>epig.</i> 68.	p. 38
Mennæ Mart. <i>epig.</i> 263.	p. 153
Monicæ viduæ <i>epig.</i> 97.	p. 56

## N

<b>N</b> Abori Mart. <i>epig.</i> 125.	p. 73
Nabori, & Felici Martyribus <i>epig.</i> 145.	p. 86
Nativitati B.M.V. <i>epig.</i> 209.	p. 122
Nazario Mart. <i>epig.</i> 125.	p. 73
Nazario alteri Mart. <i>epig.</i> 160.	p. 94
Nereo Mart. <i>epig.</i> 104.	p. 60
Nicolao de Tolentino <i>epig.</i> 212.	p. 124.
Nicolao Episcop. <i>epig.</i> 281.	p. 162
Nicomedi Mart. <i>epig.</i> 215.	p. 125
Norberto Confes. <i>epig.</i> 122.	p. 71
Nymphæ Virg. & Mart. <i>epig.</i> 261.	p. 152
	Pij
	Octo

## O

**O**cto Septæ Martyribus *epig.* 10  
p. 172

Omniū Sāctorū solemnitati *epig.*  
254. p. 148

Omniū Fidelium defunctorū cō-  
memorationi *epig.* 255. p. 149

## P

**P**ancratio Mart. *epig.* 106. p. 61  
Pantaleoni Medico, & Mart.  
*epig.* 159. p. 93

Paschasio Confes. *epig.* 9. p. 171

Pastoribus in Nativitate *epig.* 4. p. 3

Patricio Episcop. & Confes. *epig.* 70

p. 39

Pauli

Paulino Episcop. & Confes. *epig.* 132

p. 77

Paulo Eremitarum primo *epig.* 21

p. 13

Paulo Mart. *epig.* 8. p. 171

Paulo alteri Mart. *epig.* 29. p. 182

Paulo Orozio *epig.* 23. p. 179

Pentecostes solemnitati *epig.* 13. p.

197

Perpetuæ Mart. *epig.* 65. p. 36

Petro Nolasco *epig.* 44. p. 25

Petro Mart. *epig.* 89. & 90. p. 51

Petro Cælestino Papæ. *epig.* 110.

p. 63

Petro, & Marcellino Martyribus

*epig.* 120.

p. 70

Petro, & Paulo Apostolis *epig.* 136.

p. 79

Petro de Alcantara *epig.* 248. p. 145

P iij

Pe.

- Petro Alexandrino Episcopo, &  
 Mart. *epig.* 274. p. 159
- Petro Gondissalvio *epig.* 28. p. 181
- Petronillæ Virg. *epig.* 119. p. 69
- Philippo Apostolo *epig.* 92. p. 53
- Philippo Nerio *epig.* 115. p. 66
- Philippo Benitio *epig.* 193. p. 112
- Pio Pap. & Mart. *epig.* 143. p. 85
- Placido, Fratribus, & socijs Martyri-  
 bus *epig.* 236. p. 138
- Polycarpo Episcopo, & Mart. *epig.*  
 39. p. 22
- Pontiano Pap. & Mart. *epig.* 268.  
 p. 156
- Præsentationi B. M. V. *epig.* 269.  
*ibidem.*
- Praxedi Virg. *epig.* 152. p. 90
- Primo Mart. *epig.* 123. p. 72
- Priscæ Virg. & Mart. *epig.* 26. p. 16
- Pro.

Processu Mart. <i>epig.</i> 138.	p. 81
Protasio Mart. <i>epig.</i> 130.	p. 75
Proto Mart. <i>epig.</i> 213.	p. 124
Pudentianæ Virg. <i>epig.</i> 111.	p. 64
Purificationi B. M. V. <i>epig.</i> 46.	p. 27

## Q

Quadragesima Martyribus <i>epig.</i> 67.	p. 37
Quatuor Coronatis Martyribus. <i>epig.</i> 258.	p. 150

## R

Raymundo de Peñafort <i>epig.</i> 35	p. 20.
Raymundo Nonnato <i>epig.</i> 206.	p. 121

Remigio Abbati. <i>epig.</i> 233.	p. 136
Respicio Mart. <i>epig.</i> 260.	p. 151
Romano Mart. <i>epig.</i> 177.	p. 103
Romano Abbati <i>epig.</i> 4.	p. 169
Romualdo Abbati <i>epig.</i> 53.	p. 30
Rosæ Virgini Limanæ <i>epig.</i> 201.	p. 118. & <i>epig.</i> 202, & 203.
Rosendo Episcop. <i>epig.</i> 5.	p. 169
Ruffinæ Mart. <i>epig.</i> 142.	p. 84
Rustico Mart. <i>epig.</i> 242.	p. 141

## S

<b>S</b> Abbæ Ahbati <i>epig.</i> 280.	p. 162
Sabinæ Mart. <i>epig.</i> 200.	p. 117
Saturnino Mart. <i>epig.</i> 275.	p. 159
Sebastiano Mart. <i>epig.</i> 30.	p. 18
Secundæ Mart. <i>epig.</i> 142.	p. 84
Sennen Martyri <i>epig.</i> 164.	p. 96
	Sen.

- Sennorinæ Virg. *epig.* 16. p. 175
- Septem Fratibus Martyribus *epig.*  
141. p. 83
- Sergio Mart. *epig.* 239. p. 140
- Silverio Pap. & Mart. *epig.* 131. p. 76
- Silvestro Papæ. *epig.* 9. p. 6
- Simeoni Mart. *epig.* 59. p. 33
- Simoni, & Judæ Apostolis. *epig.* 253.  
p. 148
- Simplicio Mart. *epig.* 163. p. 95
- Soteri Pap. & Mart. *epig.* 82. p.  
46
- Stanislao Episcopo, & Mart. *epig.* 99.  
p. 57
- Stephano Protomartyri *epig.* 5. p. 4
- Ejusdem inventioni *epig.* 169. p. 99
- Stephano Pap. & Mart. *epig.* 168.  
p. 99
- Stephano Regi *epig.* 189. p. 110
- Ste-

Stephano Abbati *epig.* 3. p. 168

Sufanæ Virg. & Mart. *epig.* 181. p.

105

Symphoriano Mart. *epig.* 192. p.

112

Symphorosæ, & septem filijs Marty-  
ribus *epig.* 150. p. 89

## T

**T** Erefiæ Virg. *epig.* 245. p. 143

Theclæ Virg. & Mart. *epig.*

227.

p. 132

Theodoro Mart. *epig.* 259. p. 151

Theotonio Lusitano *epig.* 13. p. 174

Thomæ Cantuariensi *epig.* 8. p. 5

Thomæ Aquinati *epig.* 63. p. 35, &

*epig.* 64. p. 36

Thomæ de Villa-nova *epig.* 221. p.

128

Thomæ

Thomæ Apostolo *epig.* 288. p. 166

Tiburtio Mart. *epig.* 80. p. 45

Tiburtio alteri Mart. *epig.* 180. p.

105

Timotheo Episcop. & Mart. *epig.* 37.

p. 21

Timotheo Mart. *epig.* 190. p. 111

Tolobæo Archipræsuli Bracharensi

*epig.* 17.

p. 176

Transfigurationi Dominicæ *epig.* 172.

p. 101

Tryphoni Mart. *epig.* 260. p. 151

## V

**V** Alentino Mart. *epig.* 57. p. 32

Valeriano Mart. *epig.* 80. p. 45

Ubaldo Episcop. & Confes. *epig.* 108

p. 62

Udo.

- Udoni Confes. *epig.* 24. p. 179
- Venantio Mart. *epig.* 109. p. 62
- Verano Confes. *epig.* 27. p. 181
- Verissimo Mart. *epig.* 38. p. 188
- Victori Pap. & Mart. *epig.* 161. p. 94
- Victori Archipræsuli, & Mart. *epig.*  
111. p. 172.
- Vincentio Mart. *epig.* 33. p. 19
- Vincentio Ferrerio *epig.* 77. p. 43
- Ad Vincula Divi Petri *epig.* 166. p.  
98
- Visitationi B. M. V. *epig.* 137. p. 80
- Vitali Mart. *epig.* 88. p. 50
- Vitali etiam Mart. *epig.* 257. p. 150
- Vito, & socijs Martyribus *epig.* 128.  
p. 74
- Urbano Pap. & Mart. *epig.* 114. p. 66
- Ursulæ, & alijs Virginibus, & Mar.  
tyribus *epig.* 250. p. 146
- Uven.

Uvencelao Mart. *epig.* 230. P: 134

## X

X Isto, & socijs Martyribus *epig.*  
173. p. 101

## Z

Z Ephyrino Papæ, & Martyri  
*epig.* 196. p. 114

FINIS.





Epigram-  
mata.  
Abrantes.

